Jahresbericht

über das

Königl. Joachimsthalsche Gymnasium,

womit zu der

am 28. September stattfindenden öffentlichen Prüfung

ergebenst einladet

Dr. AUGUST MEINEKE,
Director.

Vorausgeschickt ist
eine Abhandlung des Adjunct Herrn Dr. Wilhelm Hollenberg:
Empedoclea.

Berlin.
Gedruckt in der Druckerei der Königlichen Akademie
der Wissenschaften.

1853.

Iam de Empedoclis reliquiis qualiacunque scripturus non possum non primum commemorare Theodorum Bergkium, nunc Friburgensem, virum cl., qui eadem, quae mihi nunc, data occasione, anno huius saeculi XXXIX commentationem suam 'de Empedoclis prooemio' edidit. In qua commentatione ille singulari quo pollet acumine rem satis difficilem ita pertractavit, ut eorum, quae vitiosa in Empedoclis versibus exstarent, multa feliciter emendasse, nonnulla prorsus absolvisse putandus sit. Adiutus autem Bergkius tunc erat editione Sturzii, cuius viri doctrinae quantum debeant Empedoclis carmina, grata semper memoria tenebunt viri docti. Praeterea iam tunc in usum suum convertere poterat, quae Sim. Karstenius in reliquiarum Empedoclearum editione publici iuris fecerat (1838).

Inter eos autem, qui post Bergkium ad Empedoclea carmina emendanda aut explicanda sese accinxerunt, nominandus est primus Panzerbieterus ('Beiträge zur kritik und erklärung des Empedocles' 1844), cuius disputatio ad finem perducta est alio loco, Zeitschrift für alterth. 1845 p. 883. sqq. Quem virum partim secutus est Gladischius, id inprimis spectans, ut similitudinem inter placita Aegyptiorum et doctrinas Empedocleas esse demonstraret.

Haud multo post Mullachius, vir doctissimus, Germaniae philologis, Berolini anno 1850 congressis, disputationem de Empedocleo prooemio misit, egregiam, ut par est, sed quae fundamenta tantum iaciebat maximamque rei partem relinquebat; cogitabat quidem ille reliqua edere, quae de Empedocle scripta habebat, sed nondum fecit.

Interim autem viris in Empedocleis studiis occupatis novum quoddam et incitamentum et adiumentum oblatum est a Millero, qui anno 1851 Oxon. librum edidit ita inscriptum: Origenis philosophumena ἢ κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἔλεγχος(¹).

(¹) De auctore huius libri in diversissimas partes discedunt virorum doctorum sententiae. Quid Millerus senserit titulus indicat; sed temere illum de Origene auctore cogitasse, conati sunt demonstrare inprimis Iacobi, Regiomontanus (adeas: Deutsche zeitschrift für christl. wissenschaft. etc. 1851. N. 25—29.), qui Hippolytum, episcopum portus Romani, auctorem esse contendit, deinde Fefslerus, qui Caium presbyterum auctoris nomine donat, argumentis haud spernendis nixus. Deinde hanc rem et multa alia, quae huc pertinere sibi persuaserat, copiose tractavit Bunsenius singulari libro: Hippolytus and his age. London 1852; neque dubitavit, illius libri auctorem Hippolytum praedicare. Cuius viri iudicio, et argumentis speciosissimis et magni nominis auctoritate commoti, multi viri docti adstipulati sunt. Non defuerunt vero, qui ne Bunsenii quidem curis adduci possent, ut Hippolyto illum librum attribuerent. In quorum numero si eos quoque esse vides theologos, quos scholam Tubingensem vocant, non multum miraberis, opinor. Sed de auctore libri disserere non est huius loci.

Cuius libri auctor, quisquis is est, cum id ageret, ut in veterum graecorum scriptis fontes ostenderet, unde quasi rivuli haereticorum opiniones emanassent, nonnulla quoque fragmenta Empedoclea attulit, eaque magnam partem nondum cognita. Inde autem novum exstitit doctis viris officium, in illis additamentis disponendis positum. Neque hoc disponendi negotio continebatur illorum cura. Nam, ut mittam explicandi munus, ille codex ms., ex quo solo editio illa princeps fluxit, tot vitiis iisque gravissimis scatet, iure ut verborum castigandorum munus omnium animos potissimum occuparit. Cui rei primus quod sciam, Schneidewinus V. C. operam navavit (Philolog. VI. 1, p. 155 sqq.) quo est animo ad omnia parato; eum autem secuti sunt ten Brinkius et Meinekius, VV. CC. Quum vero illi viri singulis tantum medelam afferrent, Henricus Steinius contra, omnia Empedoclis fragmenta, novorum quoque habita ratione, denuo 'disposuit, recensuit, adnotavit' (Bonnae 1852), adiutus ille in libro suo adornando optimorum virorum, ut Brandisii et Ritschelii, amicitia atque liberalitate ([1]). Tamen, ut facile credes, nonnulla reliquit et sibi ipsi et aliis retractanda. Restat denique in hoc praefandi munere, ut de instituti mei ratione paucula moneam. In animo igitur est, primum Empedoclis prooemium disponere et recensere, idque ita, ut non selectam varietatem, sed integram apponam (id quod Steinius voluit, non perfecit). Deinde altera disputationis parte de singulari philosophiae Empedocleae loco, qui ad cognoscendi theoriam spectat, copiosius disseram. Addentur denique nonnulla de iis, quibus viri docti conati sunt τὸ ὂν Parmenidis illustrare.

I. De prooemio Empedoclis.

Priusquam ad colligenda ea fragmenta accedamus, quae Empedocles prooemii loco posuerit, opus est instituere disputationem de iis, quae veteres de illius philosophi scriptis nobis reliquerunt. Nam de fragmentis disponendis ac collocandis nemo potest recte statuere, nisi qui e veterum testimoniis rectam et quam fieri potest accuratam sibi imaginem finxerit singulorum scriptorum Empedocleorum ([2]). Haec autem disputatio permultis laborat difficultatibus; pauca enim sunt, quae huc pertineant testimonia, neque ea satis inter se convenientia. Diogenes L. VIII. 77 habet haec: τὰ

([1]) Steinius quum praeter disputationem utilissimam de Empedoclis scriptis poetae verbis nihil adderet nisi apparatum, quem vocant, criticum — nam quas rationes in disponendis fragmentis secutus sit, quum id ab accuratiore ac copiosiore carminis explicatione non sit separandum, alio loco exponet — editionem commodam et parabilem nobis dedit, ut non dubitaverim, iam nunc in versibus Empedocleis citandis iis numeris uti, quos Steinius singulis apposuit.

([2]) Non est necesse, titulos examinari eorum scriptorum, quae Diog. L. VIII. 57 commemorat, quaeque partim falso tribuuntur Empedocli, Metonis filio. Ceterum, ut hoc obiter moneam, pro Μέτων Tzetzes non semel habet Μελίτων (cf. Philol. VI. 158 et VI. 731, quae ten Brinkius affert). Nunc quoque in cod. ms. Argentor. Iust. Mart. cohort. c. 4 video exstare Μελίτωνος. Falsum sane, sed neque librarii error neque lusus in hac forma cernitur, sed potius vaga opinio. Milleri codex p. 252 Ἐμπ. Μιῶνος Ἀκραγαντῖνος, mendose.

μὲν οὖν περὶ φύσεως αὐτῷ καὶ οἱ καθαρμοὶ εἰς ἔπη τείνουσι πεντακισχίλια, ὁ δὲ ἰατρικὸς λόγος εἰς ἔπη ἑξακόσια· κ. τ. λ. Quocum conf. Suidae verba s. h. v. ἔγραψε δι' ἐπῶν περὶ φύσεως τῶν ὄντων βιβλία γ'. καὶ ἔστιν ἔπη ὡς δισχίλια· ἰατρικὰ καταλογάδην. Suidas igitur quum perspicuis verbis medica Empedoclis pedestri sermone scripta diceret, id Karstenio aliis non convenire videbatur cum Diogenis verbis, ut qui ἔπη ἑξακ. medico illo opusculo tribuisset. Quare, etsi vel Diogenis λόγος deterrere debuerat, tamen Karstenius Suidae errorem tribuere maluit, quam ab Empedocle medicum illud abiudicare carmen. Sed verbum ἔπη nequaquam nobis persuadere, ut carmen eo designatum esse putemus, Ritschelius ostendit (bibl. Alex. p. 101). Neque magis favent Karstenii coniecturae, quae ex Aristotelis arte poetica descripsit (p. 71.). Quum autem quaereret, talis medici carminis num fortasse superessent vestigia, incidit in versus illos satis notos, quos Diogen. habet VIII. 59.: τοῦτον (sc. Γοργίαν) φησὶν ὁ Σάτυρος λέγειν ὡς αὐτὸς παρείη τῷ Ἐμπεδοκλεῖ γοητεύοντι. ἀλλὰ καὶ αὐτὸν διὰ τῶν ποιημάτων ἐπαγγέλλεσθαι τοῦτό τε καὶ ἄλλα πλείω, δι' ὧν φησι·

φάρμακα δ' ὅσσα γεγᾶσι κακῶν καὶ γήραος ἄλκαρ
πεύσῃ, ἐπεὶ μούνῳ σοι ἐγὼ κρανέω τάδε πάντα.
παύσεις δ' ἀκαμάτων ἀνέμων μένος οἵτ' ἐπὶ γαῖαν
ὀρνύμενοι πνοιαῖσι καταφθινύθουσιν ἄρουραν·
καὶ πάλιν, εὖτ' ἐθέλῃσθα, παλίντιτα πνεύματ' ἐπάξεις·
θήσεις δ' ἐξ ὄμβροιο κελαινοῦ καίριον αὐχμὸν
ἀνθρώποις, θήσεις δὲ καὶ ἐξ αὐχμοῖο θερείου
ῥεύματα δενδρεόθρεπτα κατ' αἰθέρος ἀΐσσοντα·
ἄξεις δ' ἐξ Ἀΐδαο καταφθιμένου μένος ἀνδρός.

Hos versus igitur, etsi non sine aliqua dubitatione(1), Karstenius putat esse sumtos e medico quodam carmine Empedoclis (cf. apud eum v. 424 sqq.) Sed recte ei opponit Steinius, illos versus, si primum et ultimum excipias, nihil continere, quod non potius pertineat ad res physicas quam ad res medicas. Quamobrem si carmen medicum ab Empedocle conscriptum esse negabimus, non facile errabimus(2).

Restat gravissimum, ut de natura carminis physici (περὶ φύσεως βιβλ. γ') et eorum, quae lustralia (καθαρμοὺς) vocant, recte statuamus. Eorum enim esse falsam opinionem, qui duos illos titulos in unum idemque carmen cadere doceant, quum et ipsa titulorum diversa significatio et luculentissima testimonia refragentur, non necesse

(1) Nam dicit p. 291: Ergo aut ad physicorum aut ad medicorum carmen referendi sunt, quorum hoc mihi probabilius visum.

(2) Steinius p. 8 sqq. etiam de Empedoclis medicis pedestri sermone conscriptis vehementer dubitat, nixus sagacissimis, ut facile vides, observationibus; tamen neque ipse ita rem pertractasse sibi videtur, ut Suidae auctoritas prorsus sublata sit. Sed cum ad rem nostram nihil faciant, illa nunc mittamus.

est pluribus exponi ([1]). Sin autem de discrimine inter argumentum carminis physici et lustralium agitur, primum tenendum est, nos in illo discrimine definiendo non prorsus e coniectura pendere. Compluria enim fragmina Empedoclis, si licet res notissimas monere, ita scriptores citant, ut non solum e physico carmine ea sumta esse dicant, sed etiam e tribus libris, quibus totum carmen constitisse scimus, eum indicent, unde quaeque descripserint. Unde fit, ut physicorum naturam satis compertam habeamus. Ad lustralia vero unum tantum fragmentum, duodecim versus complectens (ap. Steinium v. 352-363) perspicuis verbis refertur. Locus exstat ap. Diog. Laert. VIII. 54, plenius VIII. 62. in priore autem loco praecedunt haec verba: *αὐτὸς ἐναρχόμενος τῶν καθαρμῶν φησι.* Versus autem sunt hi:

ὦ φίλοι, οἳ μέγα ἄστυ κατὰ ξανθοῦ Ἀκράγαντος
ναίετ᾽ ἀν᾽ ἄκρα πόλευς, ἀγαθῶν μελεδήμονες ἔργων,
(ξείνων αἰδοίων λιμένες, κακότητος ἄπειροι,)
χαίρετ᾽· ἐγὼ δ᾽ ὔμμιν θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητὸς
πωλεῦμαι μετὰ πᾶσι τετιμένος, ὥσπερ ἔοικε,
ταινίαις τε περίστεπτος στέφεσίν τε θαλείοις·
τοῖσιν ἅμ᾽ εὖτ᾽ ἂν ἵκωμαι ἐς ἄστεα τηλεθόωντα,
ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶ σεβίζομαι· οἱ δ᾽ ἅμ᾽ ἕπονται
μυρίοι, ἐξερέοντες ὅπη πρὸς κέρδος ἀταρπός,
οἱ μὲν μαντοσυνέων κεχρημένοι, οἱ δ᾽ ἐπὶ νούσων,
δηρὸν δὴ χαλεπῇσι πεπαρμένοι ἀμφ᾽ ὀδύνῃσι,
παντοίων ἐπύθοντο κλύειν εὐηκέα βάξιν.

His igitur versibus poeta alloquitur cives ut bonorum operum studiosos, pravitatis expertes, hospitum refugia, seque praebet iis ut non amplius humana contentum condicione, sed iure, tanquam deum, ab omnibus honoratum hominibus, quorum alii viam ad salutem adipiscendam exquirant, alii vaticinia expetant, alii morborum dolorumque lenimenta discere velint. Quibus versibus, quos initio carminis positos esse Diogeni facile credes, sane magnam excitat poeta expectationem, cui quomodo satisfecerit, non iam accurate possumus scire. Nam pauca sunt, quae viri docti coniectura satis certa illi initio subiungenda esse putarunt, neque ea ita comparata, ut initii magniloquentiam excusent. Coniectura autem illa iam e nomine lustralium

---

([1]) Cave ne Suidae verbis supra laudatis illam opinionem confirmari credas; nam quomodo factum sit, ut ille lustralia omitteret, facile est explicatu, de qua re adeas Steinium p. 13. De numero autem versuum, quos utrumque carmen comprehenderit, multa iam sunt disputata. Karstenius quidem (p. 70) e collatis testimoniis Diogenis et Suidae efficit, duo illa carmina constitisse quinque versuum milibus, quorum duo ad physica, tria ad lustralia pertineant. Bergkio vero (p. 9) falsa visa est haec divisio, quippe qua physicis parum, lustralibus pro argumenti simplicitate nimium tribueretur; idque recte, ut opinor. Mutandum igitur censet Suidae vocabulum *δισχίλια* in *τετρακισχίλια*, ita ut physica quatuor versuum milia comprehenderint, lustralia autem mille tantum.

repetitur, quippe quae 'calamitatum causas expiandique modos' referre solerent. Expiandi vero modos, quos quasi divino afflatu inventos praedicabant poetae, in sacris quibusdam ritibus ieiuniis lavationibus aliis, quibus rebus mysticam inesse significationem volebant, positos esse constat. Quare cum eiusmodi placita in nonnullis fragmentis Empedocleis appareant, iis non dubitabimus locum in lustralibus assignare: cf. ap. Steinium vers. 440-446. Sed vides quam manca sit illa coniectura, quatenus e solo titulo pendeat; quid enim obstat, quaeso, quominus Empedoclem et de multis aliis rebus in lustralibus disseruisse putemus?

Nec vero veterum testimonia hanc rem satis illustrant. Quid enim, quod Diogenes l. l. initium *καθαρμῶν* ideo affert, ut Empedoclem medicum et vatem esse inde efficiat? Porro si ab eodem Diogene, aliis, traditum accepimus, illud lustralium carmen Olympiae esse pronuntiatum a rhapsodo quodam, (quod non est cur addubitemus,) tamen aliud inde vix concludi potest, quam hoc, illud carmen non longe a populi intellegentia sensuque disiunctum fuisse. Quocum id quoque convenit, quod in illo fragmento, quod unum lustralium nomine nobis relictum est, ad complures, ad cives dico Agrigentinos, oratio se convertit, eaque hymnorum magis, quam aridae philosophiae naturam ostendit([1]). Deinde, quid sibi velit, quod Apuleius lustralia carmina magiae suspecta esse tradit, non plane compertum habemus, neque Sturzii copiosa disputatione (p.35-55) Empedoclis illa *μαγεία, γοητεία, τερατολογία* (quam vocem e Cedreno afferunt.) re vera explicatur. Vix est igitur, cur cum Steinio mireris, viros doctos in hac re vagarum opinionum infirmitatem non esse transgressos. Sed recte nos exemplo suo admonet, ut propius ad rem definiendam accedamus. Quod enim ad naturam lustralium cognoscendam attinet, e fragmento supra e Diogene descripto aliquid saltem de consilio carminis discere possumus; nam quod ibi de se praedicat, non iam sese mortalem esse, sed potius deum, id quomodo latius pateat atque in alios quoque quadret vel quadrare debeat, verisimile est eum in proximis exposuisse. Et aptissime Steinius locum Plutarchi de Is. et Os. p. 361 affert hunc: Ἐμπ. *δὲ καὶ δίκας φησὶ διδόναι τοὺς δαίμονας ὧν (ἂν) ἐξαμάρτωσι καὶ πλημμελήσωσιν· Αἰθέριον μὲν γὰρ* .... (cf. v. 377-80.) *ἄχρις οὗ κολασθέντες οὕτω καὶ καθαρθέντες αὖθις τὴν κατὰ φύσιν χώραν καὶ τάξιν ἀπολάβωσι*([2]). Unde simul concludes poetam, priusquam de animorum evectione ad deos praeceperit, disseruisse de deplorabili daemonum sorte, qua olim e coelo in terrenas venerint regiones. Nam ut propter vitae integritatem homo ad deos evehitur, ita aliquando daemones nonnulli propter scelera, (veluti propter caedem) a coelesti sede devenerunt in terras, ut ibi scelera luerent atque expiarent. Hic igitur videtur fuisse nexus placitorum in lustralibus expositorum, daemones ut primum monstraretur quomodo lapsi essent atque in terras detrusi,

---

([1]) Cf. quae Philostr. Vita Apoll. VIII. 7. 6 habet: *ὕμνους ὡς θεὸς ἐξ ἀνθρώπου ἔσοιτο.*

([2]) Cf. quae Steinius eodem loco (p. 22) dedit e Clemente Al. *τῶν σοφῶν τὰς ψυχὰς θεοὺς γίνεσθαι κ. τ. λ.* et quae supra e Philostrati V. Ap. exscripsimus *ὕμνους ὡς θεὸς ἐξ ἀνθρώπου ἔσοιτο.*

deinde quibus artibus ritibus purgationibus uti deberent in hac misera vitae condicione, denique quomodo, illis ritibus peractis, vitae integritate recuperata, rursus deus evaderet is, qui olim dei felicem sortem amisisset. Haec vero argumenti lustralium descriptio non plane caret testimoniorum auctoritate; nam Hierocles, comm. in carm. aur. p. 142 Mullach. haec affert quasi summam doctrinae Empedocleae: Κάτεισι γὰρ καὶ ἀποπίπτει τῆς εὐδαίμονος χώρας ὁ ἄνθρωπος, ὡς Ἐμπεδοκλῆς φησιν ὁ Πυθαγόρειος,

— φυγὰς θεόθεν καὶ ἀλήτης,
Νείκεϊ μαινομένῳ πίσυνος. —

ἄνεισι δὲ καὶ τὴν ἀρχαίαν ἕξιν ἀπολαμβάνει, εἰ φύγοι τὰ περὶ γῆν καὶ τὸν ἀτερπέα χῶρον, ὡς ὁ αὐτὸς λέγει,

Ἔνθα φόνος τε κότος τε καὶ ἄλλων ἔθνεα κηρῶν·

εἰς ὃν οἱ ἐμπεσόντες,

Ἄτης ἂν λειμῶνα κατὰ σκότος ἠλάσκουσι.

Accedit quoque externa nota ex orationis forma sumta. Constat enim, carmen περὶ φύσεως nomine Pausaniae inscriptum fuisse. (v. Diog. VIII. 80) ἦν δ' ὁ Παυσανίας, ὥς φησιν Ἀρίστιππος καὶ Σάτυρος, ἐρώμενος αὐτοῦ, ᾧ δὴ καὶ τὰ περὶ φύσεως προσπεφώνηκεν οὕτως,

Παυσανία, σὺ δὲ κλῦθι, δαΐφρονος Ἀγχίτου υἱέ.

et cum nusquam alia persona in eundem honoris locum vocetur, illi soli carmen suum misisse Empedoclem credibile est. Unde, si verum est, efficitur, ut omnia fragmina, in quibus poeta complures compellat, a physico carmine seiungamus.

Sed Bergkius (comment. p. 10) illi coniecturae fundamentum voluit subtrahere. Nam quum alibi (Diog. VIII. 43) versum hunc Empedocli tributum reperisset

Τήλαυγες, κλυτὲ κοῦρε Θεανοῦς Πυθαγόρεώ τε,

istum Telaugem eum putabat esse, quem in physicorum carmine praeter Pausaniam allocutus esset poeta. Id quod ei sermonis quoque forma indicare videbatur. Nam ad illum versum Παυσανία, σὺ δὲ κλῦθι κ.τ.λ. observat, vocem (σὺ) δέ, proprio nomine praemisso, semper in usu esse, ubi sermo ab alio ad alium subito deflectat, qua in re sequitur Porsoni verba ad Eurip. Orest. 614, sed non recte. Porsonus enim si monet, 'cum subito sermonem ad alium ab alio convertimus, primo nomen ponimus, deinde pronomen, deinde particulam', quominus huius propositionis conversionem simul veram esse contendamus, impediunt et notissimae logices leges et loquendi usus, quem Mullachius Bergkii opinioni recte opposuit (comm. de prooemio Emp. p. 22.). Facile autem supersedebimus ea repetere, quae Mullachius e magna exemplorum copia l. l. depromsit, ut demonstraret, particula δέ tali modo usurpata non solum hominem homini, sed etiam sententiam sententiae opponi. Praeterea apte monet Steinius p. 18 nihil prohibere, quominus illo versu eodem modo nonnullos exceptos esse dicamus, quo Promethei Aeschylei primos duos tertio.

Bergkius vero postquam semel de duplici inscriptione ita ut diximus statuit, et id suscepit explicandum, quamobrem ne vestigium quidem compellationis duplicis in Empedocleis fragmentis occurreret. Hanc explicationem putat repeti posse ex Archestrati gastrologia, cuius fragmenta apud Athen. leguntur; nusquam enim in fragmentis obscuri illius carminis, duobus amicis inscripti, apparet duorum compellatio, sed ubique unius. Sed de hoc excusandi atque explicandi modo, a Bergkio proposito, si post Steinii refutationem (p. 18) copiosius dicerem, actum agere viderer.

Obstat temporum quoque ratio, quominus versum illum:

Τήλαυγες, κλυτὲ κοῦρε Θεανοῦς Πυθαγόρεώ τε

Empedocli tribuamus. Nam (ut mittam perparvam auctoritatem Hippoboti, qui Empedoclem auctorem tradit,) ille Telauges, iam Xenophanis magister ab aliis habitus certe multo antiquior fuit Empedocle, vixque credibile est, eum cum Empedocle contraxisse familiaritatem. Accedit id, quod Telauges κοῦρος appellari ab Empedocle nequaquam potuisset, quamvis aequalis fuisset.

Quae hactenus de discrimine inter physicum carmen et lustralia disputata sunt, partem quidem rei absolvunt, tamen non mirabere, opinor, nihilominus de compluribus fragminibus dubitari, utrum in physicis, an in lustralibus iis locus sit assignandus. Taceo de abruptis atque mutilatis versibus, quibus significationem non magis eruere, quam supponere debemus, sed id quoque rei difficultatem auget, quod saepius unum eundemque versum diversis in locis usurpari videmus. Quod si magis cadit in partes singulorum carminum recte disponendas, altera res est, quae ad differentiam duorum illorum poematum describendam necessario pertinet. Nam etsi in universum lustralium argumentum, ut iam supra expositum est, a physicorum librorum argumento ipso satis bene discernitur, tamen de prooemio physicorum, cuius argumentum non tam angustis ac perspicuis finibus circumscriptum fuisse verisimile est, non idem valet. Quare in prooemio latissimus adhuc campus patet dubitationibus ac dissensionibus. At facile, si de inscriptione carminis recte statueris, tres versus, quos Bergkius initio prooemii posuit, reiicies hos: (Stein. 366-368.)

ὦ φίλοι, οἶδα μὲν οὕνεκ' ἀληθείη παρὰ μύθοις
οὓς ἐγὼ ἐξερέω· μάλα δ' ἀργαλέη γε τέτυκται
ἀνδράσι καὶ δύσζηλος ἐπὶ φρένα πίστιος ὁρμή. (1)

Nam quum complures compellentur (ὦ φίλοι), in physicis locum non habent illi versus, etsi Sturzius et Bergkius aliter statuunt. Karstenius recte vidit lustralium carmini eos inserendos esse; idem Steinius quoque iudicat.

---

(1) Extant ap. Clem. Alex. stromm. V. p. 549. B. Libri habent οὖν ἐκ τ' ἀληθείη. Hoeschelius ὅτ' ἀλ., ed. Colon. ἐτ' ἀλ. Bergkius, Meinekii secutus coniecturam οὕνεκ' ἀλ. 'Vir quidam doctus' ap. Sturz. p. 637: ἐν τ' ἀληθείῃ, male. Pro παρὰ Hoeschelius περί. In altero versu cod. Par. ἐγώ γ' ἐξερέω, Stephan. ἔγωγ'. Hoesch. οὕς γ' ἐγὼ ἐξ. Deinde ἀργαλέους Hoesch.

Sed multo difficilius est, diiudicare de alio loco, quem hucusque in physicis posuerunt viri docti, Steinius primus in lustralibus, locum dico, qui incipit: Ἔστιν ἀνάγκης χρῆμα (ap. Stein. 369-82). Sed iuvat, locum istum, qui nunc quattuordecim versus comprehendit, apponere integrum (Karst. 1-8, 16-19.):

ἔστιν ἀνάγκης χρῆμα, θεῶν ψήφισμα παλαιόν,
ἀΐδιον, πλατέεσσι κατεσφρηγισμένον ὅρκοις·
εὖτέ τις ἀμπλακίῃσι φόνῳ φίλα γυῖα μιήνῃ
* ὅς καὶ ἐπίορκον ἁμαρτήσας ἐπομόσσῃ
δαίμων, οἵτε μακραίωνος λελάχασι βίοιο,
τρίς μιν μυρίας ὥρας ἀπὸ μακάρων ἀλάλησθαι,
φυόμενον παντοῖα διὰ χρόνου εἴδεα θνητῶν,
ἀργαλέας βιότοιο μεταλλάσσοντα κελεύθους.
[αἰθέριον μὲν γάρ σφε μένος πόντονδε διώκει,
πόντος δ' ἐς χθονὸς οὖδας ἀπέπτυσε, γαῖα δ' ἐς αὐγὰς
ἠελίου φαέθοντος, ὁ δ' αἰθέρος ἔμβαλε δίναις·
ἄλλος δ' ἐξ ἄλλου δέχεται, στυγέουσι δὲ πάντες.]
τῶν καὶ ἐγὼ νῦν εἰμὶ φυγὰς θεόθεν καὶ ἀλήτης,
νείκεϊ μαινομένῳ πίσυνος (¹).

(¹) Complures scriptores citant hunc locum: Plut. de exs. p. 607 affert: 369, 371, 373, 374, 381. Simplic. phys. VIII. f. 272 B: 369-370. Porphyr. ap. Stob. Ecl. II, 8. 384. eosdem versus, initio omisso. Origen. c. Cels. VIII, 53. 374-75. Hierocles Aur. carm. p. 142 Mull. 381-82. alii.

Nuperrime ex illo Milleri libro prodierunt prorsus novi: 372, 376, ita ut locus simul iis sit assignatus. Scripturam autem quod spectat, accipe haec. 369 ap. Plut. ἔστι τῆς vel ἔστι τι ἀνάγκης. Ps. Orig. refut. ἔστι τι ἀνάγκη. Reisk. recte coni. ἔστιν ἀνάγκης. Wyttenb. propos. ἔστι τ'. Pro ψήφισμα Simpl. habet σφράγισμα e proximo versu sumtum.

370. Ps. Orig. ref. πλατέεσι κατεσφραγισμένον. Stob. πλατέεσσι κατεσφραγισμένον.

371. Ap. Plutarchum solum exstat. Pro φόνῳ Panzerb. beiträge p. 2. scribit φρενῶν, dicens: statt φόνῳ, was unverbunden neben ἀμπλακίῃσι kaum stehen darf, haben wir φρενῶν geschrieben. Pind. Pyth. 3. 24: ἀμπλακίαισι φρενῶν. Sed Mullachius p. 8 refert alium locum Plutarchi, ubi idem verbum φόνος apparet: de usu carn. orat. I. extr. ὅτι φόνων καὶ βρώσεως σαρκῶν καὶ ἀλληλοφαγίας δίκην τίνουσαι σώμασι θνητοῖς ἐνδέδενται. Schneidewinus vero (Phil. VI. 162.) defendit Panzerbieteri φρενῶν, ne illud μιήνῃ determinatione careat, et proximo versu, cuius initium apud Ps. Orig. deest, supplendum censet αἵμασιν; scribit igitur:

εὖτέ τις ἀμπλακίῃσι φρενῶν φίλα γυῖα μιήνῃ
αἵμασιν, ἢ ἐπίορκον ἁμαρτήσας ἐπομόσσῃ, κ. τ. λ.

Sed sine iure illud φόνῳ reiecit. Cur enim non satis definitum sit illud μιήνῃ, non video, neque Steinius hac in mutatione cum Schneidew. consentit, in altero tamen versu similiter lacunam explet verbo αἵματος, (in αἵμασιν enim displicuit ei numerus,) sed ne huius quidem lectio (αἵματος), satis habet quo commendetur; nullum enim eiusmodi vocabulum desideratur, satiusque est, coniectura adhibita id solum petere, ut versus forma restituatur. Scribendum igitur: εὖτ' ἤ τίς γ' ἐπίορκον ἁμαρτήσας ἐπομόσσῃ, vel ut Kirchhoffius meus monet: ἤτοι ὅς κ' ἐπίορκον κ. τ. λ.

Ad vocem ἁμαρτήσας conferas, quae, Plutarcho teste, irridentes dixerunt Epicurei: ὡς οὐ δυνατόν ἐστι, (δαίμονας) φαύλους καὶ ἁμαρτητικοὺς ὄντας μακαρίους καὶ μακραίωνας εἶναι; et Plot.: Ἐμπεδοκλῆς εἰπὼν ἁμαρτανούσαις νόμον εἶναι ταῖς ψυχαῖς, πεσεῖν ἐνταῦθα κ. τ. λ.

Hic igitur locus a plerisque editoribus caput vel certe pars physici carminis habitus est, neque sola coniectura id statuerunt, sed moniti a Plutarcho, teste ut videtur locupletissimo. Plut. enim illorum versuum quinque his verbis introducit: (de exs. p.

---

373. Plut. l. l. δαίμονες οἵτε μακραίωνες λελόγχασι βίοιο. Ps. Orig. refut. p. 249: δαιμόνιοί τε μακραίωνος λελάχασι βίοιο.

Heeren emendavit: δαίμων, οἵτε, Stob. Ecll. I. p. 895. illumque secuti sunt Sturzius, Bergk., Mull., Schneidewin., Stein.; vulgatam retinuerunt Karstenius, Panzerbieterus. Scriptio δαιμόνιοί τε, quam nunc e refut. habemus, favere videtur vulgatae, iam antea a Karstenio non prorsus infeliciter defensae; excusatio autem illius pluralis (δαίμονες) quam ex inverso horum verborum ordine solo repetit, ne Empedocleo quidem stilo satisfacere videtur.

Scaligerus pro μακραίωνες posuit μακραίωνος, eumque secuti sunt Hoeschelius, Sturz. alii; recte, ut nunc ex Orig. ref. apparet. Vocabulum λελόγχασι quum metri causa ferri non posset, nonnulli ita loco medelam attulerunt, ut verba transponerent: βίοιο λελόγχασι μακραίωνος (Karst. Bergk. Mullach.). Sed ne id quidem satis recte, quum prima vocis μακροῦ syllaba fere ubique ab Empedocle corripiatur (cf. tamen v. 213 (243) δένδρεα μακρά et 166 (203), quos locos neglexit Schneidewinus p. 163.

Nunc vero eo minus refugiendum est ad transpositionem, quod Orig. refut. pro λελόγχασι praebet λελάχασι. Et iam antea nonnulli illud λελόγχασι metri causa mutarunt, Scaliger ita, ut λελόχασι, Hoeschel. ut λελάχασι scriberet. Hoeschelii emendationem, a Sturzio receptam, Refutat. confirmat. Apte ex Hesychio apposuit Schneidewinus: λελάχασι· τετεύχασι, illam glossam ad nostrum locum pertinere suspicans. Mullachius olim p. 8 formam λελάχασι graecam esse negaverat propter metricam rationem (cf. εἴληχα), sed talis obiectio a metrices arte sumta apud Empedoclem non est magni facienda, praesertim si reputes, hic per similitudinem aor. II. λέλαχον facillime confusionem explicari posse. Coniunctivus autem quem tentavit Millerus (λελάχωσι) ferri nequit, et propter significationem et propter structuram totius propositionis. De δηθαίωνος, quod, pro μακραίωνος propter metrum a Bergkio propositum, Mullachio quoque arridebat, nihil amplius dicendum.

374. Orig. c. Cels. μίν, idem Ps. Or. refut.; — Ps. Or. ἀλάλησθε aperto errore, pergit τούτους οὖν φησιν ἀλάλησθαι κ. τ. λ. Plut. et Orig. c. Cels.: ἀλαλῆσθαι.

375. Orig. γινομένην παντοίαν διὰ χρόνον ἰδέαν θνητῶν. Plut. γενομένην. Editt.: γεινόμενον (Karst.) vel γινόμενον (Bergk.). — μένην illi perverse scribunt, quia participium ad ψυχήν referunt. Ps. Orig. φυομένους; sed cum mox sequatur μεταλλάσσοντα, errorem in illo numero plurali inesse vides, sane verbis praecedentibus ortum; dicit enim τούτους οὖν φησιν ἀλάλησθαι καὶ φυομένους παντοῖα κ. τ. λ. Steinius non sine iure miratur, Schneidewinum φυομένους retinuisse. Quod viri docti deinde coniecerunt, pro παντοίαν — ἰδέαν legendum esse παντοῖα — εἴδεα, id nunc Milleri libro confirmatur; habet enim παντοῖα διὰ χρόνον εἴδεα. Mirum autem est etiam in hoc libro διὰ χρόνον exstare. Sturzius p. 586, quamquam illud χρόνον retinuit, tamen observat 'fortassis rectius legatur διὰ χρόνου, ex aliquo temporis intervallo.' — Librorum διὰ χρόνον esset: pro temporis ratione, minus apte, sed non, ut Karstenio visum est, inepte dictum. Qui si scribit διὰ χρεώ, 'nascentem per omnes mortalium formas iussum est', a vero aberrat. Exemplum enim e Parmenidis v. 95 sumtum, nullum est, nam sola coniectura ibi in Simplicii οὐδ' εἰ χρόνος ἐστίν latere suspicatur οὐδὲ χρεών ἐστιν, et de comparando eo exemplo, quod Bastius (Comm. palaegr. p. 849) affert — agit enim de vocabulo χρόνους propter similitudinem compendiorum pro χρείας posito — huiusmodi rei raritas debebat deterrere. Huc accedit id, quod, ut recte vidit Mull. p. 9. tota tum turbatur verborum constructio. Idque ipse Karstenius sensit, addens: 'posset quoque pro χρεώ legi χρέος et verba sic ordinari: (ψήφισμά ἐστι) ἀλάλησθαί μιν γιγν. παντοῖα εἴδεα θνητῶν διὰ χρέος: 'necessitate varias induentem mortalium formas.' Sed illud χρέος friget, nihil enim est, nisi repetitio eiusdem notionis, quam iam ἀνάγκη et ψήφισμα exprimunt.

376. Hic versus est inter novos Milleri ibique bis legitur:

ἀργαλέας βιότοιο μεταλλάσσοντα κελεύθους.

607) ὁ δ' Ἐμπ. ἐν ἀρχῇ τῆς φιλοσοφίας προαναφωνήσας κ. τ. λ. **Dolendum quidem, quod ille paullo obscurius de philosophia in universum loquitur, sed quum carmen περὶ φύσεως multo maiore celebritate ac fama apud veteres floreret, quam lustralia, illis editoribus alienum visum est, verba illa Plutarchi non de carmine physico intel-**

Ἀργαλέας κελεύθους φησὶν εἶναι τῶν ψυχῶν, τὰς εἰς τὰ σώματα μεταβολὰς καὶ μετακοσμήσεις. Τοῦτ' ἐστὶν ὃ λέγει· ἀργαλ. β. κ. τ. λ., μεταλλάσσουσι γὰρ αἱ ψυχαὶ σῶμα ἐκ σώματος ὑπὸ τοῦ νείκους μεταβαλλόμεναι κ. τ. λ.

377. Plut. quattuor hos versus ter habet, semel omisso quarto versu. Steinius primus eos recte collocavit; nam Plut. talia praefatur (de Is. et Os. p. 361): Ἐμπεδ. δὲ καὶ δίκας φησὶ διδόναι τοὺς δαίμονας, ὧν ἐξαμάρτωσι καὶ πλημμελήσωσιν· αἰθέριον κ. τ. λ. Clarius vero apparet, non alio loco illos versus esse inserendos e loco Ps.-Orig.; postquam enim versus supra allatos φυόμενον παντοῖα (375-376) descripsit, explicandi causa addit: μεταλλάσσουσι γὰρ αἱ ψυχαὶ σῶμα ἐκ σώματος ὑπὸ τοῦ νείκους μεταβαλλόμεναι καὶ κολαζόμεναι, καὶ οὐκ ἐώμεναι μένειν εἰς τὸ ἕν, ἀλλὰ κολάζεσθαι ἐν πάσαις κολάσεσιν ὑπὸ τοῦ νείκους τὰς ψυχὰς μεταβαλλομένας σῶμα ἐκ σώματος. Αἰθέριόν γε (φησὶ) μένος ψυχὰς κ.τ.λ. Conf. praeterea verba πλάζονται καθάπερ οἱ θεήλατοι καὶ οὐρανοπετεῖς ἐκεῖνοι τοῦ Ἐμπ. δαίμονες, quibus alio loco eosdem versus introducit Plutarchus. Confidenter igitur hos versus cum Steinio huc rettuli.

De scriptura haec annotanda sunt:

377. Plut. αἰθέριον μὲν γάρ σφε μένος πόντονδε διώκει. Ps.-Orig. initio minus recte, et deinde ψυχὰς suo Marte dedit, cf. quae ad v. 373 adscripserat δαίμονας τὰς ψυχὰς λέγων μακραίωνας. Idem paullo post aperto errore pro πόντονδε διώκει habet: πόντον δὲ χθονὸς διώκει, cuius vitii origo in excipiente versu est.

378. Plut. sic ut exhibui verba, semel tamen πόντος δὲ χθονὸς, σ omisso, a quo vitio describendo non abhorruit Eusebius. Ps.-Orig.: πόντος δὲ χθονός, 'una litera exesa'. Porro Plut. ἀνέπτυσε bis, recepit Karsten., semel vero ἀπέπτυσε, idem habet Ps.-Orig.; Karstenius, ἀνέπτυσε praetulit, quia hoc convenientius dici putabat de mari in terram eiiciente, sed latuit eum Homeri illud: ἀποπτύει δ' ἁλὸς ἄχνην. Praeterea ideo praeferendum ἀπέπτ., quod tum notio horroris et odii bene servatur. cf. στυγέουσι δὲ πάντες. Deinde Plut. pro γαῖα δ' ἐς αὐγὰς semel γ. δ' ἐς αὖθις. Ps. Or. γέα δ' εἰς αὐγάς, sed paullo post γαῖα εἰς αὐγάς.

379. Plut. bis: ἠελίου ἀκάμαντος. Ps. Orig. bis ἠελίου φαέθοντος, quam lectionem metricis e rationibus praetuli. Stein. retinuit ἀκάμαντος. Ps. Or. mendose ὁδ' αἰθέρος ἔμβαλλε.

380. Nulla discrepantia, nam quod semel Ps. Orig. ἄλλος ἐξ pro ἄλλος δ' ἐξ habet, id nihil est.

381 et sq. persaepe citantur:

Plut. τὴν κ. ἐγὼ νῦν εἰμι.
Philop. ὡς κ. ἐ. δεῦρ' εἶμι.
Asclep. ὡς κ. ἐ. δεῦρ' εἰμί.
Ps. Orig. τῶν κ. ἐγώ εἰμι.

Iam Scaliger e coniectura rectum invenerat τῶν, quod nunc codice confirmatur. Bergkius primum scripserat τώς, postea vero τῶν recepit. Windetus (Mullach p. 9) δὴν — εἶμι. Sturz. τῇ (i. e. ταύτῃ, itaque, vel hic, in hac terra). Karst. tuetur τὴν — εἶμι, 'intellecto ὁδὸν vel πλάνην'. Sed Philoponi εἶμι reiiciendum est, neque Plotini auctoritas huic lectioni accedit. Nam mihi sine iure Mullachius e verbis Plotini καὶ αὐτὸς φυγὰς θεόθεν γενόμενος ἥκειν, πίσυνος μαινομένῳ νείκει, concludere videtur, Plotinum εἶμι repperisse; notio enim eundi, perveniendi etc. non verbo εἶμι demum additur, sed iam in ἀλαλῆσθαι, deinde in διώκει etc., neque minus in φυγάς, ἀλήτης aperte exstat. Vocabulum δεῦρ' una cum εἶμι corrigendum; etsi enim Asclep. idem habet, tamen id nihil est, nisi novum documentum notae illius viri incuriae, in Empedocleis verbis et afferendis et interpretandis; cf. Karst. p. 353, 373, 390.

382. Hoc fragmentum latere in Ps. Orig. p. 249. νείκη γάρ φησι μαινόμενον καὶ τετα[ρα]γμένον καὶ ἄστατον τὸν δημιουργὸν τόνδε τοῦ κόσμου ὁ Ἐ. ἀποκαλῶν, Millerus non perspexit; medela in promtu est.

legere. Alii tamen alio modo. Plutarchi enim verba accurate secutus, quum nihil nisi prooemium significare ipsi viderentur, Karstenius illos versus, omissis iis quos nondum noverat aut quos cum illis coniunctos esse non viderat, in initio totius carminis physici posuit; statimque iis addidit, quae, aliunde repetita, argumenti similitudine huc pertinere videbantur, ut versus 436-37.

οἴμοι ὅτ' οὐ πρόσθεν κ.τ.λ., in quibus queritur Empedocles quod animalium carnem nefandam non respuerit, deinde alios, ut 390. 391. 385. 401. 402. 377-380: *αἰθέριον μὲν γάρ σφε μένος κ. τ. λ.* de quibus supra. Nonnullos tamen versus dubitanter illis adnumeravit, de qua re vide, quae ad v. 436 (v. 9) adscripsit: 'tamen si quis inter *καθαρμοὺς* referre malit, ut fecit Sturzius, nihil obstat. p. 163.'

Alii editores, ut Bergkius, versus a Plutarcho in prooemii loco positos posteriorem partem praefationis fecerunt, ita ut Plutarchi verbis eam quam secuti sunt disponendi rationem, munire non possint.

Nexum autem si spectas sententiarum, quae secundum illam interpretationem verborum *ἐν ἀρχῇ τῆς φιλοσοφίας* in Empedoclis prooemio coniungi debebant, valde mirabere, talia in physici carminis exordio doceri posse. Nam parum verisimile est, Empedoclem in ista praefatione rerum naturalium doctae expositioni elementorumque copiosae descriptioni praeposuisse tales ambages de daemonum flebili exilio deque eorum variis migrationibus ac descensione in tristem terrae speluncam, quae omnia multo aptius in mystico illo lustralium carmine legerentur. Quo accedit, ut Steinius monet, quod ex alia prooemii parte (verss. 1-23.), quam nemine obloquente omnes fere editores, etsi veterum testimoniis non adiuti, in prooemio posuerunt, imaginem prooemii nobis aliam fingamus necesse est, quam quae sinat Plutarchi versus huc referri. Ad lustralium igitur carmen locum illum *ἔστιν ἀνάγκης χρῆμα* etc. potius pertinere credes opinor([1]), neque dubitabis hoc Plutarcho concedere, ut etiam l u s t r a l i u m carmen *φιλοσοφίας* vocabulo simpliciter possit citare. Duo igitur quodammodo

([1]) Rem confici dicit Steinius omnemque dubitationem tolli iis, quae Plutarchus versibus illis continuaverit, ut quae non minus, quam priora explicationem quandam versuum Empedocleorum continerent. Verba autem sunt haec: *οὐχ ἑαυτόν, ἀλλ' ἀφ' ἑαυτοῦ πάντας ἀποδείκνυσι μετανάστας ἐνταῦθα καὶ ξένους καὶ φυγάδας ἡμᾶς ὄντας. Οὐ γὰρ αἷμα, φησίν, ἡμῖν οὐδὲ πνεῦμα συγκραθέν, ὦ ἄνθρωποι, ψυχῆς οὐσίαν καὶ ἀρχὴν παρέσχεν, ἀλλ' ἐκ τούτων τὸ σῶμα συμπέπλασται, γηγενὲς καὶ θνητόν, τῆς δὲ ψυχῆς ἀλλαχόθεν ἡκούσης δεῦρο τὴν γένεσιν ἀποδημίαν ὑποκορίζεται, τῷ πρᾳοτάτῳ τῶν ὀνομάτων· τὸ δ' ἀληθέστατον, φεύγει καὶ πλανᾶται θείοις ἐλαυνομένη δόγμασι καὶ νόμοις· εἶτα, ὥσπερ ἐν νήσῳ σάλον ἐχούσῃ πολύν, καθάπερ φησὶν ὁ Πλάτων, ὀστρέου τρόπον ἐνδεδεμένη τῷ σώματι, διὰ τὸ μὴ μνημονεύειν μηδ' ἀναφέρειν, ἐξ οἵης τιμῆς τε καὶ ὅσσου μήκεος ὄλβου μεθέστηκεν κ. τ. λ.* Et vero paene omnia quae Plut. his verbis commemorat, in *καθαρμῶν* argumentum perbene quadrant, in physicorum non bene. [Sed illud *οὐ γὰρ αἷμα ἡμῖν οὐδέ κ. τ. λ.* videtur e physico carmine interpositum, ut oppositio plenior esset] Equidem quamvis in universum huic loco non tantum tribuere velim, quantum Steinius tribuit, tamen hoc moneo, quod mihi gravissimum videtur: Totus Empedoclis locus, unde Plutarchus ista verba hausit, non ad unum (Pausaniam), sed ad complures directus videtur. Inde explico illud *ὦ ἄ ν θ ρ ω π ο ι*, quod, quasi ex Empedoclis verbis sumtum, orationi inserit Plutarchus. Ob eam vero rem locum non ad physica, sed potius ad lustralia pertinere, iam supra dictum.

lustralium carmen habet prooemia. Prius enim est compellatio Agrigentinorum, *ὦ φίλοι, οἳ μέγα ἄστυ κ. τ. λ.* (v. 352-365), posterius vero, ad rem ipsam propius accedens: *ὦ φίλοι, οἶδα μὲν οὕνεκ' ἀληθείη παρὰ μύθοις, οὓς ἐγὼ ἐξερέω* 366-68, cui statim adduntur illi Plutarchi versus:

ἔστιν ἀνάγκης χρῆμα κ. τ. λ.

quos ad tale prooemium pertinere nihil est cur negemus.

Hactenus haec. Recidendi igitur sunt a physicorum prooemio, quale apud Karst. exstat, versus 1-31, eique mutatis mutandis in lustralia relegandi; et post amici compellationem:

1. *Παυσανία, σὺ δὲ κλῦθι δαΐφρονος Ἀγχίτου υἱέ.*

sequi videtur locus celeberrimus, quem Sextus Empir. adv. math. VII. 123 affert: (Karst. 32-40) — sed versus complures excidisse iam argumentationis formula *γάρ* indicat —

2. *στεινωποὶ μὲν γὰρ παλάμαι κατὰ γυῖα κέχυνται·*
3. *πολλὰ δὲ δείλ' ἔμπαια, τά τ' ἀμβλύνουσι μερίμνας.*

---

(1) Cobet. Παυσανίη. Pro Ἀγχίτου Karsten. Ἀγχίτεω, quo exstat in epigr. hoc:

Παυσανίην ἰητρὸν ἐπώνυμον Ἀγχίτεω υἱὸν
φῶτ' Ἀσκληπιάδην πατρὶς ἔθρεψε Γέλα,
ὃς πολλοὺς μογεροῖσι μαραινομένους καμάτοισι
φῶτας ἀπέστρεψεν Φερσεφόνης ἀδύτων.

Sed illud Ἀγχίτεω nonnisi in Antholog. Palat. legitur, Diog. Laert. bis Ἀγχίτου, quae forma confirmatur Brunck. Anal. I, 103. Conf. praeterea quas Bergkius p. 7 contra Ἀγχίτεω formam dubitationes movet e prosodia sumtas. In altero versu in Anthol. Plan. τόνδ' Ἀσκληπιάδην πατρὶς ἔθαψε κόνις, Pal. ἔθαψε πέλας (mendose pro Γέλα). Si lectio ἔθαψε vera est, epigr. falso Empedocli tribuitur, et vere Anthol., quae ἔθαψε habet, Simonidem auctorem nominat (cf. Bergk. p. 8.), quod non minus falsum.

Sed etiam ἔθρεψε si praeferas, tamen in mortuum Pausaniam epigramma compositum videtur, quod ab Empedocle alienum est. Karsten. contra lectionem ἔθαψε observat, hoc vocabulum nihil significare, nisi, patriam eum publico sumtu extulisse, neque hoc in divitem hominem quadrare. Sed parum probabile. In tertio vers. Anth. Pal. et Plan.: ὃς πλείστους χρυεραῖσι μαραινομένους ὑπὸ νούσοις. In quarto Anth. pro ἀδύτων hab. θαλάμων.

(2) Sextus Emp. praemittit haec p. 216: ἄλλοι δὲ ἦσαν οἱ λέγοντες κατὰ τὸν Ἐ. κριτήριον εἶναι τῆς ἀληθείας οὐ τὰς αἰσθήσεις ἀλλὰ τὸν ὀρθὸν λόγον, τοῦ δὲ ὀρθοῦ λόγου τὸν μέν τινα θεῖον ὑπάρχειν, τὸν δὲ ἀνθρώπινον, ὧν τὸν μὲν θεῖον ἀνέξοιστον εἶναι, τὸν δὲ ἀνθρώπινον ἐξοιστόν, de quibus vide, quae altera huius disputationis parte diximus. Deinde p. 217: λέγει δὲ περὶ μὲν τοῦ μὴ ἐν ταῖς αἰσθήσεσι τὴν κρίσιν τἀληθοῦς ὑπάρχειν οὕτως· στεινωποὶ κ. τ. λ. (2-9), deinde ibidem: περὶ δὲ τοῦ μὴ εἶναι εἰς τὸ παντελὲς ἄληπτον τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ' ἐφ' ὅσον ἱκνεῖται ὁ ἀνθρώπινος λόγος ληπτὴν ὑπάρχειν, διασαφεῖ τοῖς προκειμένοις ἐπιφέρων· σὺ [δ']οὖν κ. τ. λ. (seq. vv. 9-10). Prellerus olim στεινόποροι secundum Theophr.; sine iure, praesertim quum Emped., ut Bergkius recte observat, adiectiva in — ωπός exeuntia adamet.

Versus 3 exstat etiam ap. Proclum in Tim. p. 175. ita: πολλὰ δὲ δειν' ἔπεα [Cod. A. δεῖν ἔπεα. 'Taylor nihil nisi τάς τε scribendum ostendit et vertit: Many dire words and cares obtund the mind.'] τά τε ἀμβλ. μερ. Addit haec: πολλὰ γὰρ ἐμπίπτοντα τοῖς ὄντως ἡμῖν δειλοῖς (Cod. A. δηλοῖς) ὡς 'φυγάσι θεόθεν' ἀμβλύνει τὴν τῶν ὄντων θεωρίαν. In hoc autem additamento vestigia sunt verae scripturae. In Sexti loco δειλεμπέα Ciz., Regiom., edit. Genev. et (omisso accentu) cod. Vratisl.

παῦρον δὲ ζωῆς ἀβίου μέρος ἀθρήσαντες
ὠκύμοροι καπνοῖο δίκην ἀρθέντες ἀπέπταν,
αὐτὸ μόνον πεισθέντες, ὅτῳ προσέκυρσεν ἕκαστος
πάντοσ' ἐλαυνόμενος· τὸ δ' ὅλον μὰψ εὔχεται εὑρεῖν·
οὕτως οὔτ' ἐπιδερκτὰ τάδ' ἀνδράσιν οὐδ' ἐπακουστὰ
οὔτε νόῳ περιληπτά. σὺ δ' οὖν, ἐπεὶ ὧδ' ἐλιάσθης,
πεύσεαι οὐ πλέον ἠὲ βροτείη μῆτις ὄρωρεν.

Conferas praeterea similem locum Empedocleum a Ps. Orig. servatum p. 252. ubi codex μυρία δῆλα πέλονται τάτ' ἀμβλύνουσι μέριμναι, quod levi mutatione dedit Steinius: μυρία δειλὰ πέλονται τάτ' ἀμβλύνουσι μερίμνας. Schneidew. scripserat: δειλ' ἀπάλαμνα—μερίμνας. Meinekius, Zeitschrift f. alt. 1852 IV. 376: δεινὰ πέλει τά τ' ἀπαμβλύνουσι μέριμναι, ἤ σ' ἄφαρ κ. τ. λ.; nuperrime Bergk. μυρί' ἄδηλ' ἔμπαια, κ. τ. λ. — In illo Sexti loco coniec. Scal. δήνε' ἔπειτα, Fabric. δειλεμπῆα, Sturz. δείν' ἔπεσον. Emperius, quod iam Bergkius voluerat scribere, δειλ' ἔμπαια. Karst. δείν' ἔμπαια. Steph. recepit Procli: δείν' ἔπεα. Bergkius prius excogitaverat: δείν' ἔμπνα. Prellerus scripserat: δειλ' ἔπεα τά τε, postea verba edidit ut supra sunt exhibita. Nunc Bergkius πολλὰ δ' ἄδηλ' ἔμπαια, κ. τ. λ. — Quod Karstenius contra δειλ' ἔμπαια observat, huic vocabulo semper inesse notionem malitiae et pravitatis, id parum valet, nam δειλόν est quod vi caret, idque ob vitium fragile est, miserum atque fugax. cf. Nitzsch. ad Od. 8. 351, et hoc optime in hunc locum quadrare quis est quin videat?

(4) Codices Ciz., Reg., Vrat., ed. Fabric. ζωῆσι βίου, ed. Gen. ζώοισι βίου Gatak. ἐν ζωοῖσι βίου. Wyttenbach ad Plut. ζώουσι βίου, verum vidit Scaligerus. In proximis: Ciz., ed. Fabr. ἀθροίσαντες, Reg. ἀθροί(η)σαντες. Karst. ἀθλήσαντες.

(6) Reg. αὐτω (ο), Ciz. αὐτός; Reg. μόνω (ον). Diog. L. IX. 73 habet hunc versum (et 8) αὐτὸ μόνον πεισθὲν τῷ [vel τὸ τῷ] ὅτῳ προσέκυρσεν ἕκαστος. Edd. Sexti ante Bekk. habebant προέκυρσεν.

(7) Ciz. παντός σ'. — Codd. ἐλαυνόμενοι· τὸ δὲ ὅλον εὔχεται εὑρεῖν. Illud ἐλαυνόμενοι hucusque, si Steinium excipias, intactum reliquerunt. Posteriorem partem scripsit Scaliger. τὸ δὲ λώιον. Sturz. τὸ δὲ οὖλον ἐπεύχεται, eum sequitur Karsten. Bergk.: τὸ δ' ὅλον πᾶς εὔχεται εὑρ. Bergk. reprehendit in Sturzii lectione 'intolerabilem' hiatum, et quod illud ἐπεύχεται non habeat, quo referatur; ipsius vero scriptura non satis clare exprimit, quod requirimus, frustra illos homines iactare sapientiam cognitionemque veri, nam totius rationis conformationem id iam docere, vix tibi persuadebis, praesertim si Bergkii πᾶς inseras. Sturzius vero et Karstenius, ut sensui loci subvenirent, interpunctione sublata, emendarunt ἐπεύχεται εὑρεῖν αὕτως· κ. τ. λ., idque mihi ipsi olim arridebat. Sed οὕτως bene se habet et sane ad sequentem pertinet versum, nam etsi e Diogen. L. loco IX. 73: ἀλλὰ καὶ Ἐμπεδοκλέα οὕτως [ἐπεὶ οὐδ' ἐρκτὰ] κ. τ. λ. non satis elucet, quorsum illud οὕτως spectet, tamen e Plutarchi loco de poet. aud. p. 17. καὶ τὰ Ἐμπεδοκλέους ἔπη ἔστω πρόχειρα ταυτί· οὕτως οὔτ' κ. τ. λ. videmus, vocem οὕτως non Plutarcho, sed Empedocli tribuendam esse. Vocabulum μάψ aptissime inseruit Steinius, sed ne deesset, quo illud εὑρεῖν referretur, verba priora sic emendavit, ut pro ἐλαυνόμενοι scriberet ἐλαυνόμενος, cf. ἕκαστος; quanquam et vulgata ferri potest.

(9) Libri σὺ οὖν, corr. Bergkius.

(10) Locus, qui multum exercuit doctorum virorum ingenia. Vulgatam autem scripturam πεύσεαι οὐ πλεῖόν γε βροτείη μῆτις ὄρωρε falsam esse, primus Karst. vidit, qui restituit π. οὐ πλέον' ἠὲ βροτείη μ. ὀ., praecipue ductus Sexti interpretatione: περὶ δὲ τοῦ μὴ εἶναι εἰς τὸ παντελὲς ἄληπτον τὴν αλήθειαν, ἀλλ' ἐφ' ὅσον ἱκνεῖται ὁ ἀνθρώπινος λόγος, ληπτὴν ὑπάρχειν κ. τ. λ. De versus conformatione sua ipse Karsten. aliquantulum dubitabat. Bergkius p. 16 versum finxit talem qualem supra exhibui (conf. tamen, quas addit p. 17 alias huius versus formas.) explicatque: ipsam ex me audies veritatem, quantum quidem humana mens cogitando potest assequi. Quae explicatio cum illa Sexti congruit; sed non idem dicendum est de Panzerbieteri coniectura: π. οὐ πλεῖστόν γε βροτείη κ. τ. λ. addit idem: d. i. da, wo am weitesten menschliche einsicht sich erhoben

* * *

11\. ἀλλὰ θεοί, τῶν μὲν μανίην ἀποτρέψατε γλώσσης,
ἐκ δ' ὁσίων στομάτων καθαρὴν ὀχετεύσατε πηγήν.
καὶ σέ, πολυμνήστη λευκώλενε παρθένε Μοῦσα,
ἄντομαι, ὧν θέμις ἐστὶν ἐφημερίοισιν ἀκούειν,
15\. πέμπε παρ' Εὐσεβίης, ἐλάουσ' εὐήνιον ἅρμα·
μηδέ τί μ' εὐδόξοιο βιήσεται ἄνθεα τιμῆς

---

hat; οὗ kann auch 'wohin' gefasst werden, et deinde: sollte οὗ anstössig sein, so schreibe man ὃ ὅπωπεν. — Mihi quidem haec displicent vixque cur Panzerb. talia proposuerit, perspicuum est. Steinius π. οὐ πλέον ἠὲ βροτείη μ. ὅρ. ad similitudinem emendationis Karstenii. Hermannus: οὗ πλείων γε. Nulla autem emendatio ita sese habet, ut omnem tollat dubitationem.

(11) Ante hunc versum plures excidisse nemo non videt. Conf. Sexti interpretationem: καὶ διὰ τῶν ἑξῆς ἐπιπλήξας τοῖς πλέον ἐπαγγελλομένοις γιγνώσκειν, παρίστησιν, ὅτι τὸ δι' ἑκάστης αἰσθήσεως λαμβανόμενον πιστόν ἐστι, τοῦ λόγου τούτων ἐπιστατοῦντος, καίπερ πρότερον καταδραμὼν τῆς ἀπ' αὐτῶν πίστεως. φησὶ γὰρ κ. τ. λ. (Sequuntur verss. 11-23 sine ulla interruptione. Clem. Alex. Strom. V. p. 576 A. affert 16 et 17, sine auctoris nomine. Procl. in Tim. p. 106 et Plut. de Amic. mult. p. 93 solum 18 laudant neque eum integrum. Versu 11. libri ἀπετρέψατε, quod corr. Fabric.; Gen. μανίαν.

(12) Ciz. Reg. Vr. Gen. ὀχεύσατε, corr. Stephan. — Ciz. Gen. καθαράν.

(14) Pro ἐφημερίοισιν Gen. ed. exhib. ἐφ' ἡμείροισιν, Reg. ἐφημέροισιν, Ciz. ἐφημέρησιν, Steph. rectum invenit. Cf. praeterea hanc vocem ap. Emped. versu 338, ubi codicis Milleriani εἰκάραι φημερίων certa ratione mutatum est in: εἰ γὰρ ἐφημερίων ἕνεκεν κ. τ. λ.

(15) Vulgo post ἀκούειν plene distinguitur, ita ut cum πέμπε nova sententia incipiatur. Primus Mullachius verba πέμπε κ. τ. λ. ex ἄντομαι apta esse voluit. In eandem rem recte incidit postea Steinius. Vulgatam mutavit Bergk. scribens: πέμπε δέ μ' Εὐσεβίης ἐλάουσ' εὐήνιον ἅρμα, nam παρά ei prorsus praeposterum visum est, praeterea requiri dicit aliquid, quo referatur illud πέμπε (illud παρὰ iam Karstenius ambiguum esse censuerat). Sed Panzerb. p. 893 attulit complures Homeri locos (Od. 12. 70. Il. 6, 177.) ubi παρά similiter usurpatum videmus, eosque locos deinde Mullach. p. 19 denuo ad ambiguitatem removendam protulit. Et sane illa Bergkii coniectura non est necessaria. Porro recte interpungit Steinius post Εὐσεβίης, quo omnis dubitatio tollitur (cf. v. 14.).

(16) Libri Sexti et Clement. σέ γ' εὐδοξ. Karstenio quum paullo ante poeta musam allocutus esset, durior haec transitio visa est, qua subito musa alloquitur poetam, nam non posse poetam his verbis Pausaniam amicum compellare, sensit rectissime. Ne verba mutanda essent, lacunam suspicatus est, idem fecit Bergkius, qui praeterea scripsit: σύ γε. Stein. μέ γ' εὐδ. Panz. τί μ', cuius interpretatio quatenus ad currum pertinet, falsa est, cf. Stein. p. 20. Recte vero primam introducit personam, nam nihil est cur lacunam in his Sexti versibus inesse putemus. Bergkius: βιήσεαι — ἀναδεῖσθαι, in sequentibus olim ἐφ' ᾧ θωὴ πλέον εἰπεῖν, quod postea dereliquit. Illud vero σύ γε — βιήσεαι praetulit, quia ordo verborum: μηδὲ (τὸ) ἀνελέσθαι ἄνθεα τιμῆς βιήσεταί σε, ἐφ' ᾧ τ' εἰπεῖν πλέον ὁσίης (Karsten.) ei plane ab Empedoclis oratione abhorrere videbatur, et vere habet talis constructio, quod frigeat. Nec magis placet quem Sturzius proposuit ordinem p. 641, in eo potissimum falsus, quod ἐφ' ᾧ τε perverse interpretatus est. Possis scribere: μηδὲν ἔμ' εὐδόξ. κ. τ. λ. — Sexti libri θνατῶν. Ciz. Reg. Vr. ἐφωθοσίης, Gen. ἐφ' ᾧ θώης. Scalig. primum ἐφ' ᾧ θ' ὁσίη πλ. (idque recepit Fabric., quem Sturzius sequitur), deinde recte scripsit: ὁσίης quam lectionem Clem. Al. l. l. confirmat, et Bergkius postea, relicto illo ἐφ' ᾧ θωή, suscepit.

Post vers. 17 editores plerique librorum interpungendi rationem sequentes, novam sententiam incipiunt vocabulo θάρσει, quod explicant, 'sapere aude, aude vulgi gratiam et vulgarem opinionem contemnere' Karst.

πρὸς θνητῶν ἀνελέσθαι, ἐφ' ᾧ θ' ὁσίης πλέον εἰπεῖν
θάρσεϊ καὶ τότε δὴ σοφίης ἐπ' ἄκροισι θοάζειν.
ἀλλ' ἄγ' ἄθρει πάσῃ παλάμῃ πῇ δῆλον ἕκαστον,
μήτε τιν' ὄψιν ἔχων πίστει πλέον ἢ κατ' ἀκουὴν
μήτ' ἀκοὴν ἐρίδουπον ὑπὲρ τρανώματα γλώσσης,
μήτε τι τῶν ἄλλων, ὁπόσων πόρος ἐστὶ νοῆσαι,
γυίων πίστιν ἔρυκε· νόει δ' ᾗ δῆλον ἕκαστον.

Talis autem adhortatio, quum non bene respondeat iis, quae paullo antea modeste praecepisset, non statim sequi poterat, quare, qui vulgatam θάρσει tuentur, complures versus excidisse sibi persuadent. Quod etsi fieri potuit, tamen quum nullum aliud indicium reperiatur, unde Sextum aliquid praetermisisse concludas, satius est aliam rationem sequi, quae ipsa sese offert, nam nulla fere mutatione **Hermannus**, ut e Bekkeri adnott. p. 218 discimus, sublata interpunctione post εἰπεῖν, pro θάρσει scripsit θάρσεϊ; id autem si verum, statim illud θοάζεις [libri in hoc vocabulo exhibendo valde discedunt, Reg. Vrat. θοάζει, Ciz. Gen. θοάζῃ, Plut. de multit. amic. p. 93 θαμίζειν. Proclus l. l. θοάζει. Scalig. requirit futurum θοάσεις, alias vero scribit θόαζε, Karsten. metri gratia θοάσσεις. Meinekius θοάξεις. Panz θόαζε] mutandum est in infinitivum θοάζειν, quemadmodum verba dedit Bekkerus, cui adstipulatus est Steinius. Tum enim tota sententia perbene sese habet, nihilque dicit poeta fore, quod impellat, honorem ut carpat ea sub conditione, ut plura quam fas sit, enuntiet, audacia elatus, atque tum in sapientiae fastigio sedeat. — Ceterum iam Panzerbietero θάρσει suspectum videbatur, cogitabat de ὄρσεο, frustra. Idem pro καὶ τότε scripsit καὶ σύγε. Proclus: καὶ τάδε (Cod. A: τάδ' ἐν) τῆς σοφίας κ. τ. λ. Sexti libri: καὶ τότε omnes, ap. Plut. l. l. non invenitur, pars enim posterior versus sola ibi exstat.

(19) Libri Sexti: ἀλλὰ γὰρ ἄθρει πᾶς π., Karst. illud γὰρ Empedocli non tribuendum esse putans, dedit: ἀλλ' ἄγε, ἄθρει παμπαλάμῃ; hiatum commate interposito excusavit. Bergkius vidit et πᾶς non quadrare in carmen nostrum, quo unus semper compelletur, et formulam ἀλλὰ γὰρ incommodam esse, proposuitque quod supra dedimus. Verbi autem ἄθρει prima syllaba quod correpta est (quum plerumque producatur), nemo magnopere mirabitur, cf. vocab. μακρός, ἄκρος alia. Panzerbiet. vero ἄγε vocabulum reiecit, sententiarum potius quam metri habita ratione, dicit enim: Im folgenden verse paſst ἄγε, nachdem die neue anrede mit θάρσει begonnen, nicht mehr: γάρ, woraus es gemacht, scheint bloſs eine ungeschickte ausfüllung der lücke, die durch die corruption des πάσῃ in πᾶς herbeigeführt wurde. Scripsit ergo: ἀλλ' ἄθρει πάσῃ π. — πηδῆλον Vrat.

(20) Ita libri, nisi unus Ciz.: πλέων. Bergk. τινὰ ὄψιν hic prorsus incommodum esse censens, scripsit: μήτε τι ὄψιν ἔχων πιστὴν πλέον κ. τ. λ., πιστὴν recepit Bekker. Panz. μηδέ τιν' ὄψιν ἔχων πιστοῦ πλέον κ. τ. λ. Steinhart. πίστει πλέον ἢ κατὰ κούρην, de qua mutatione infra dicendum erit.

(21) Libri ἢ ἀκοὴν (Gen. ἀκουήν), Karst. μήτ' ἀκ.; quod Bergk. secutus est, ne os vastius diduceretur; Ciz. Reg. Gen. γλώττης. De interpretatione vocabuli τρανώματα (γλώσσης) postea erit dicendum.

(22) Sexti libri ὁπόσῃ; Karst. ὅπῃ; Bergk. Panz. retinuerunt vulgatam; ὁπόσων scripsit Steinius: 'apparet, ἄλλων non posse non ad γυίων pertinere, nec hinc avellendum esse, ut placuit, gravi sententiae detrimento .... nec aliter possis ullo modo hos versus vel ad formae concinnitatem, vel ad sanitatem sensus adigere.' Karsten. gravius interpunxit post ἐστὶ νοῆσαι; similiter Bergkius, et iam antea Sturzius. Sed recte Panzerb. duos hos versus coniunxit. Ceterum illud ὁπόσῃ librorum ferri potest, sed aptiorem esse Steinii scribendi rationem neminem latebit. Iam Sturzium vero ὁπόσῃ torquebat: 'unum ὁπόσῃ me torquet, quanquam video idem esse quod ᾗ, atque adeo verti posse ex quo, unde; mallem ὁπόσοις, per quae, ut pertineat ad τῶν ἄλλων'. — Prellerus (Zeitschr. f. alt. 1837, phil. hist. pag. 112) habet ὁπόσῃ πόρος ἐστὶ νοῆσαι γυίων. πίστιν ἔρυκε κ. τ. λ., frustra a Karstenio admonitus, ne id faceret.

(23) νόει θ' ᾗ libri, Karsten. recte νόει δ' ᾗ, idem Bergkius, Panz.; Preller. vulgatam retinuit. De toto hoc loco sectione altera disputabitur copiosius.

Totus hic locus (11-23) ut iam observatum est, a Sexto ita exhibetur, ut nullum lacunae indicium usquam reperiatur, nisi forte v. 16, ubi μηδὲ σέ γ' εὐδόξοιο βιήσεται librorum ferri tum demum potest, si complures versus excidisse credamus. Sed nexus sententiarum suadet, ut emendandi potius sequamur viam. Praeter illam lacunam suspicati sunt duas alias, post v. 17. πλέον εἰπεῖν, et post v. 18. θάρσει — θοάζεις, sed utrumque locum corruptum esse, viderunt viri docti, simulque eas proposuerunt emendationes, quae assensum paene extorqueant. Quare neque in his locis lacunosam esse versuum Empedocleorum seriem, tamdiu tenendum erit, quamdiu non apud alium testem veterem, eundem locum pleniorem legerimus. Nam id negari nequit, etiam Sextum, quanquam inter locupletissimos est testes ([1]), nonnunquam ita locos veterum philosophorum laudasse, ut, nullo indicio apposito, complures versus, quippe quos ad rem suam nihil facere vidisset, omitteret, cuius rei illustre exemplum habes initio carminis Parmenidei. Quid, quod etiam in Plutarchi illo loco ἔστιν ἀνάγκης χρῆμα, quem lacunosum esse nemo interpretum censuerat, nunc e Milleri libro complures versus tacite omissos videmus? Quare de hac re circumspecto iudicio opus est. Fuit autem, qui transponendis versibus locum emendare vellet, ita ut post versus:

σὺ δ' οὖν ἐπεὶ ὧδ' ἐλιάσθης,
πεύσεαι οὐ πλέον ἠγε βροτείη μῆτις ὄρωρε.

poneret statim illos, a Clemente quoque laudatos:

μηδὲ σέ γ' εὐδόξοιο βιήσεται ἄνθεα τιμῆς
πρὸς θνητῶν ἀνελέσθαι, ἐφ' ᾧ θ' ὁσίης πλέον εἰπεῖν.

Hactenus vero licet bene procedat sententia, tamen in sequentibus versibus disponendis nec lacunarum suspicionem vitare ille poterat, nec mihi tantae negligentiae ac perturbationis accusatio in Sexti auctoritatem videbatur quadrare.

Iam ad finem prooemii perventum est, omnia enim, quae Karstenius eo nomine carmini proposuerat, aut in lustralia relegavimus aut denuo recensuimus. Solus Steinius nonnullos versus Empedocleos adiecit, quippe qui nusquam aptius legerentur, quam in prooemio. Sunt autem versus 24-32 (ap. Karsten. 424-32), quos iam supra pag. 3 e Diogene attuli: φάρμακα δ' ὅσσα γεγᾶσι κακῶν καὶ γήραος ἄλκαρ κ. τ. λ. Hos autem versus Sturzius inter lustralia posuerat (v. 399 sqq.); Karstenio vero e medico potius carmine sumti videbantur; et certe in lustralibus nihil loci iis relictum est, quia non plures, sed unum solum auditorem in his versibus compellat poeta. cf. v. 25:

πεύσῃ, ἐπεὶ μούνῳ σοὶ ἐγὼ κρανέω τάδε πάντα κ. τ. λ.

Medicum vero carmen ab Empedocle scriptum esse, nullo probabili argumento demonstrari potest. Sed de hac re, quam iam supra attigimus, compares velim saga-

---

([1]) Qua de re adeas velim Fischeri Quaestionum Emp. specim. p. 11.

cissimam Steinii disputationem p. 8 sqq. Non dubitandum igitur, quin ad carmen, περὶ φύσεως ab Empedocle scriptum, illi versus referendi sint.

Porro autem si agitur de loco carminis physici, quem Empedocles istis versibus assignaverit, omnia nos adducunt, ut in prooemio sedem illorum versuum fuisse putemus. Nihil enim in iis docet, sed promittit singularia dona, e philosophiae cognitione redundatura. Quare recte Steinius hos novem versus in prooemio posuisse censendus est. In eo tamen errasse eum puto, quod his versibus totum prooemium finivit. Nam mihi potius in capite prooemii statim post amici Pausaniae compellationem collocandi videntur, ita ut non adeo magnam lacunam inter versum:

Παυσανίᾳ, σὺ δὲ κλῦθι δαΐφρονος Ἀγχίτου υἱέ

et novem sequentes versus statuam:

φάρμακα δ' ὅσσα γεγᾶσι κακῶν καὶ γήραος ἄλκαρ
πεύσῃ, ἐπεὶ μούνῳ σοὶ ἐγὼ κρανέω τάδε πάντα.
κ. τ. λ.

Cur vero hac in re a Steinio discedendum sit, dicam breviter. Etenim me movit similitudo καθαρμῶν, v. 352 sqq.: ὦ φίλοι, οἳ μέγα ἄστυ κατὰ ξανθοῦ Ἀκράγαντος ναίετ' ἀν' ἄκρα πόλευς κ. τ. λ. Huius enim carminis prooemium ita est dispositum, ut priore parte compellationem amicorum continuo sequatur descriptio earum rerum, quas homines a persona poetae exspectare soleant (neque ut par est, frustra). Tum demum, peractis his, quae proxime ad personam poetae doctrinaeque vim ac magnitudinem pertinebant, altera parte prooemii (v. 366. 369 sqq.) ad rem ipsam introducendam atque adumbrandam pergit. Haec autem disponendi ratio tanto opere respondet Empedoclis ingenio elato et grandiloquenti, ut nulla possit inveniri aptior. Ut vero illum locum: φάρμακα δ' ὅσσα γεγᾶσι κ. τ. λ. in eodem fere loco haberem, quo initium καθαρμῶν, impulit me non solum, ut iam supra dixi, quod ipsum praecipiendi consilium ab hoc loco alienum esse videbam, sed etiam, quod in nullo fragmine magis, quam in illo, personam amici commemorari eiusque exspectationem excitari reperiebam (¹).

II. De cognoscendi facultate.

Celeberrimam illam quaestionem de veri cognoscendi facultate, quum communis sit omnium fere philosophorum, tum ab Empedocle tractatam videmus. Cuius viri de hac re sententiam in animo est accuratius exponere.

Perfectam autem rerum vel totius universi cognitionem ab Empedocle hominibus non tribui, ut iam ex affinitate huius philosophi cum Parmenide atque cum

(¹) Doleo, me tum demum, quum haec iam extarent typis expressa, incidisse in ea, quae nuperrime in censura libri Steiniani Bergkius attulit; cf. Jahrbücher f. phil. ed. Jahn, tom. 68. fasc. I. p. 21 sqq. Duobus tantum in locis adscribere potui emendationes a viro egregio propositas.

Heraclito concludi potest, ita perspicuis Empedoclis confirmatur verbis. Quae enim versu 9 sqq. (ap. Stein.) legimus:

τὸ δ' ὅλον μὰψ εὔχεται εὑρεῖν·
οὕτως οὔτ' ἐπιδερκτὰ τάδ' ἀνδράσιν οὐδ' ἐπακουστά,
οὔτε νόῳ περιληπτά.

aliter non poteris explicare([1]). Immo fuerunt, qui omnem cognitionem veri ab Empedocle nobis abiudicari opinarentur. De qua re conferre iubet Karstenius Cicer. Acad. quaest. I. 12., ubi error ille non solum commemoratur, sed etiam ab alio collocutore redarguitur vel certe coarctatur. Est enim error, si quis Empedoclem omnem veri perceptionem sustulisse arbitrari velit. Inter certos quidem fines philosophus ille humano generi tribuit cognoscendi facultatem, ut versu 10 (Karst. 40) legitur:

πεύσεαι οὐ πλέον ἠγε βροτείη μῆτις ὄρωρεν.

et similiter in aliis locis, quos enumerari non est necesse.

Utrum autem eorum, quae cognitioni humanae sint subiecta, Empedocles alia sensibus, alia rationi tribuerit, an illud discrimen, vulgo tritum, omnino neglexerit, accuratius nobis est quaerendum. Sane quidem si ad Eleaticorum doctrinas respicimus philosophorum, quibuscum Empedocles tanta est vinctus cognatione, illam diversitatem inter sensus et rationem ab eo minime neglectam esse exspectamus. Sunt autem tam pauca, quae de hac re in Empedoclis exstant fragmentis, ut non mirandum sit, quod neque veteres interpretes neque nostrates in hac parte doctrinae Empedocleae explicanda ad unam eandemque sententiam pervenerunt. Aristoteles quidem et Theophrastus, quibus vel maxima in his rebus debetur auctoritas([2]), *τὸ αἰσθάνεσθαι* apud Empedoclem idem valere dixerunt, ac *τὸ φρονεῖν* (Karst. p. 491). Sed eos versus, quibus Aristoteles hanc interpretationem fulcire studet, equidem parum aptos arbitror, e quibus id effici possit. Verba enim sunt haec v. 330 (Karsten. 318):

πρὸς παρεὸν γὰρ μῆτις ἀέξεται ἀνθρώποισιν

et deinde: 331-332 (319-320)

ὅσσον τ' ἀλλοῖοι μετέφυν, τόσον ἄρ σφισιν αἰεὶ
καὶ φρονέειν ἀλλοῖα παρίστατο.

([1]) Quocum ea optime congruunt, quae Empedocles de nostra deorum cognitione v. 344 sqq. (ap. Karsten. v. 356 sqq.) profert haec:

Οὐκ ἔστιν πελάσασθ' οὐδ' ὀφθαλμοῖσιν ἐφικτὸν
ἡμετέροις ἢ χερσὶ λαβεῖν, ἧπερ γε μεγίστη
πειθοῦς ἀνθρώποισιν ἀμαξιτὸς εἰς φρένα πίπτει.

Sine iure Karstenius vocabulum *πίπτει* spurium censet esse, nam hoc vocabulum cum *εἰς* coniunctum haud raro apud tragicos scriptores et alios occurrit, neque propria tantum significatione sed etiam figurata. Cf. Steph. Thes. s. h. v.

([2]) Caveas tamen, ne Aristoteli, veterum philosophorum doctrinas explicanti, nimis credas, cuius de auctoritate in talibus rebus inter alios Zellerus (Platonische studien) et H. Ritterus (in additamentis ad priorem editionem libri satis noti p. 40 sqq.) non parvas moverunt dubitationes.

Quomodo enim ex his verbis possit demonstrari, *τὴν μῆτιν* sive *τὴν φρόνησιν* idem esse ac *τὴν αἴσθησιν* me plane nescire libere fateor (1). Nam nihil hic dici censeo, nisi illud verissimum, et res sensibus obiectas et corporis condicionem cogitationem quoque nostram variare. Quid vero? Num talis coniunctio diversitatem potest extinguere? Quare vix opus est commemorare, iam Simplicium (de an. III. f. 56) ita verba Empedoclis supra laudata explicasse, ut illam inter humanas facultates differentiam servarit, idque solum ex eius explicatione profero, eum verba *καὶ φρονέειν ἀλλοῖα παρίστατο* de somniis dici statuisse (2).

Neque minus videtur a vero aberrasse Theophrastus, quem eandem hac de re sententiam amplexum esse supra diximus. In eo enim potissimum continetur eius argumentatio (cf. de sensu § 10), ut ex illo notissimo, *γινώσκεσθαι τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον*, quod a plurimis Empedocli quoque tribuitur, nullam (3) diversitatem inter *τὴν αἴσθησιν* et *τὴν φρόνησιν* apud Empedoclem esse demonstret. Illud autem placitum, simile simili cognosci, in his verbis potissimum conspicitur, vv. 333-337 (Karst. 321-25):

Γαίῃ μὲν γὰρ γαῖαν ὀπώπαμεν, ὕδατι δ' ὕδωρ,
αἰθέρι δ' αἰθέρα δῖον, ἀτὰρ πυρὶ πῦρ ἀΐδηλον,
στοργῇ δὲ στοργήν, νεῖκος δέ τε νείκεϊ λυγρῷ·
ἐκ τούτων γὰρ πάντα πεπήγασιν ἁρμοσθέντα
καὶ τούτοις φρονέουσι καὶ ἥδοντ' ἠδ' ἀνιῶνται.

In quibus versibus Empedoclis sagacitatem agnoscimus, concludit enim ille ex eo, quod animus plurimas diversissimasque res sibi informare ac quodammodo arripere potest, hoc non fieri, nisi quadam affinitate inter animam et res (4), idque rectissime.

---

(1) **Neque Trendelenburgio, viro sagacissimo, illa Aristotelis argumentatio probatur, dicit enim p. 449 (ad Arist. d. an.): 'E nudis Empedoclis .... verbis ab Aristotele allatis non sequitur, eos, quod Aristoteles vult, voluisse'; et postea p. 450: 'Versus quales laudantur, per se soli Empedoclem in eorum, qui sensus et mentis discrimen nullum faciunt, ordinem non detrudunt. Recte enim ille versus explicari potest, ex iis quae adsunt rebus hominum prudentiam augeri, ex eo quod quis experitur mentis intellegentiam crescere, hic vero, sicut aliis et aliis homines utantur, ita aliam atque aliam mentem induere'. Miror autem, quod Karstenius illam Aristotelicam argumentationem pro vera accipit, ita dicens p. 258: Cuius interpretationis ratio in promtu est: *τὸ παρεόν* intellegit res praesentes, sensibus obiectas, *αἰσθητόν τι*: iam quod *τῷ αἰσθητῷ* afficitur *αἴσθησις* est, ergo *μῆτις* sive *φρόνησις* idem atque *αἴσθησις*.**

(2) **Cf. Philop. de an. I, 1. *Ὁ γὰρ Ἐμπ. τὰς διαφορὰς τῶν ὀνειράτων λέγων φησὶν ὅτι ἐκ τῶν μεθ' ἡμέραν ἐνεργημάτων αἱ νυκτεριναὶ γίνονται φαντασίαι. ταύτην δὲ τὴν φαντασίαν φρόνησιν καλεῖ ἐν οἷς φησιν· ὅθεν σφίσιν καὶ τὸ φρονεῖν ἀλλοῖα κ. τ. λ.* Brandisius, V. C., qui Philoponum solum talis explicationis auctorem citat, eam ab hoc viro excogitatam esse neque certo fundamento niti suspicatur. Cf. Geschichte der philosophie I, p. 221. Quae quidem suspicio rectissime se habet.**

(3) **Vel potius, ut accuratius eius sententiam referam: *ἢ ταὐτὸν ἢ παραπλήσιον ὂν τῇ αἰσθήσει τὴν φρόνησιν*.**

(4) **Karstenii explicatio illius loci haec est (p. 260): 'Res eo cognoscimus, quod animi sensuumque natura cum externarum rerum natura convenit', deinde (p. 493): 'Empedocles arbitratus, res divinas et humanas a nobis cogitari et perspici non posse, nisi in nobismetipsis earum rerum principia insita sint, hinc iu-**

Quantum vero absit, ut Theophrasti opinio ex tali doctrina possit colligi, iam ex Aristotelis verbis cognosci potest, qui (de anima I, 2. 7.) simillimam sententiam in Platonis Timaeo exstare recte vidit. Nam Plato quidem a nemine, opinor, is habebitur, qui diversitatem inter sensus et rationem neglexerit (¹). Quare illud placitum: *γινώσκεσθαι τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον*, per se non sufficit ad id, quod Theophrastus voluit, demonstrandum. Tamen id concedendum, illud placitum apud Empedoclem propter peculiarem eius de elementis doctrinam peculiarem quoque habere vim. Quam doctrinam ceteroquin satis notam si accuratius perpenderis, sane intelleges, Empedoclem si sibi consentaneus esse voluisset, de anima deque eius facultate vix aliter potuisse praecipere, atque Theophrastus et Aristoteles eum praecepisse tradunt. Errarunt vero in laudandis locis, e quibus rem suam demonstrarent. Sed ne inde concludas, illos non potuisse invenire aptiores locos, unum saltem fragmentum a Sexto Empirico servatum apponam v. 231 (Karst. v. 313):

πάντα γὰρ ἴσθι φρόνησιν ἔχειν καὶ νώματος αἶσαν

atque haec verba prorsus quadrant in eiusdem de elementorum mixtione doctrinam. Certe Empedocles omnibus naturae rebus, etiam quae vulgo inanimae vocantur, hoc loco sensum quendam atque animam tribuit, neque negari potest, vi quadam illam communem omnium cognoscendi facultatem hic pronuntiari; et rectissime Panzerbieterus animadvertit, vocabulum *πάντα* isto versu etiam inde aliquid ducere gravitatis, quod primum obtineat versus locum.

Iam vides, quantum in errorem incidant, qui ab aliquo loco Empedocleo proficiscentes eas quoque qualescunque ei attribuant sententias, quae inde necessario videantur concludi. Id quod in universum exspectari debet, praecipue si consideres, Empedoclem voluisse in unum coniungere, quaecunque a prioribus sapientibus excogitata essent, de qua re vide Bergkii comm. p. 6 sq.

Sed etiam pluribus exemplis probari potest, Empedoclem saepe non satis sibi convenienter de una eademque re docuisse. Nam ut ex ea doctrinae parte, in qua omnis est nostra disputatio, exempla proferam, quid est, quod versu 81 (108 Karsten) dicat:

τὴν (scil. *φιλότητα*) *σὺ νόῳ δέρκευ, μηδ᾽ ὄμμασιν ἧσο τεθηπώς,*

quem versum recte vertunt: illam tu a n i m o cerne, nec o c u l i s alucinans sede. Karstenius praeterea apponit fragmentum Parmenideum (v. 49), ubi de iis, qui vera cum apparentibus rebus confundant, hoc dicitur:

---

dicavit, intellegi a nobis ea, quorum in ingenio nostro semina insint, quae contra aliena sint nobis sive dissimilia, ea non intellegi'. —

(¹) Idem de Plotino valet praecipiente: Οὐ *γὰρ ἂν πώποτε εἶδεν ὀφθαλμὸς ἥλιον, ἡλιοειδὴς μὴ γεγενημένος, οὐδὲ τὸ καλὸν ἂν ἴδοι ψυχή, μὴ καλὴ γενομένη*. Quae verba cuique in mentem revocabunt Goethii nostri versus celeberrimos.

οἱ δὲ φορεῦνται
κωφοὶ ὅμως τυφλοί τε τεθνηκότες κ. τ. λ.

Quid igitur? nonne hic ab Empedocle aliquo certe modo animus opponitur oculo, ita ut alia cognoscendi vis τῷ νῷ atque oculis vel sensibus tribuatur (¹)? Deinde alio loco naturam describens dei, abiudicanda quidem esse ab eo censet membra humana, nihilominus tamen ei φρὴν ἱερὴ καὶ ἀθέσφατος attribuenda deo videtur. Verba sunt haec v. 347 sqq. (v. 359 sqq. apud Karsten.):

οὐ μὲν γὰρ βροτέῃ κεφαλῇ κατὰ γυῖα κέκασται,
οὐ μὲν ἀπαὶ νώτοιο δύο κλάδοι ἀΐσσονται,
οὐ πόδες, οὐ θοὰ γοῦν', οὐ μήδεα λαχνήεντα,
ἀλλὰ φρὴν ἱερὴ καὶ ἀθέσφατος ἔπλετο μοῦνον,
φροντίσι κόσμον ἅπαντα καταΐσσουσα θοῇσιν.

Quis igitur hunc respiciens locum diceret, τὸ φρονεῖν apud Empedoclem idem esse, quod τὸ αἰσθάνεσθαι, quum φρὴν sine ullis membris ideoque sine sensuum perceptione existere dicatur? De alio simili loco:

ἀλλ' ἄγ' ἄθρει πάσῃ παλάμῃ πῇ δῆλον ἕκαστον,
. . . .
. . . . νόει δ' ᾗ δῆλον ἕκαστον.

infra copiosius disputabitur. Ceterum iam Sextus Emp. nobis refert opiniones hominum quorundam, qui differentiam inter mentis et sensuum cognoscendi vires ab Empedocle optime servatam esse statuerint. Dicit enim adv. Math. VII. p. 216: "Ἄλλοι δὲ ἦσαν οἱ λέγοντες, κατὰ τὸν Ἐμπεδοκλέα κριτήριον εἶναι τῆς ἀληθείας οὐ τὰς αἰσθήσεις, ἀλλὰ τὸν ὀρθὸν λόγον· τοῦ δὲ ὀρθοῦ λόγου τὸν μέν τινα θεῖον ὑπάρχειν, τὸν δὲ ἀνθρώπινον κ. τ. λ. Quae verba tametsi Stoicorum disciplinam sapiunt, tamen id potius de elocutionis similitudine, quam de re ipsa valet. Neque Galenus (cf. Karst. p. 311) ita perstringere potuisset Empedoclem, ut fecit, nisi differentia illa inter hominum percipiendi modos re vera esset pars doctrinae Empedocleae; dicit enim istum ludens: (εἰ) τὸν ἀπὸ τῆς αἰσθήσεως ἔλεγχον ἀποδιδράσκων ἀξιοίην ἐπὶ τὸν λόγον ἰέναι καὶ τούτῳ σκοπεῖσθαι περὶ φύσεως πραγμάτων, οὐκ αἰσθήσεσιν ἀλόγοις ἐπιτρέπειν τὸ πᾶν, ἆρ' οὐκ ἂν τοῖς νοῦν ἔχουσι μαίνεσθαι δόξαιμι; κ. τ. λ.

Ex his satis clare apparet, Empedoclem de hac re non ita docuisse, ut nusquam secum pugnaret; quod quidem si tenemus, hoc iam adepti erimus, ut nullum

(¹) Aliter vero locum explicat Panzerbieterus (beiträge 1844, p. 10) dicens: Den streit hatte schon Heraclitus in die physik eingeführt .... wogegen von der freundschaft noch nichts gehört worden war. Daher die kurze rechtfertigung ihrer einführung. Quae verba quomodo huc pertineant, non videbis, priusquam illius versus versionem, ab eodem viro ingenioso propositam legeris. Vertit enim, animi notione neglecta: 'diese betrachte mir recht, und sitze nicht staunen im auge'. Quae versio quatenus pendeat e vertendi difficultate, aut e praeiudicata aliqua opinione, id explorare non est huius loci; certe illa versio satis est imperfecta.

locum facile ideo corrigendum esse iudicemus, quia aut uni aut alteri interpretum opinioni contradicat, sed ut potius sententiarum nexum exploremus, et tum demum, si huius nexus postulet ratio, verba audeamus corrigere.

Alii vero interpretes nostri temporis in eo noluerunt acquiescere, ut apud Empedoclem mentem a sensibus modo distinctam, modo non distinctam esse dicerent, sed certam diversitatem inter illas percipiendi vires, etsi non absolutam, ut ita dicam, ab Empedocle statutam esse conati sunt demonstrare. Duplici autem modo. Alii enim, inter quos Ritterus(¹), Sexti Emp. verba (τοῦ δὲ ὀρθοῦ λόγου τὸν μὲν θεῖον ὑπάρχειν, τὸν δὲ ἀνθρώπινον) respicientes, differentiam ita restituerunt, ut duas diversas provincias cognoscendarum rerum statuerent, quibus diversas quoque cognoscendi vias ac facultates respondere dicebant(²). Quae opinio quanto opere commendetur et nonnullis fragmentis et tota Empedoclis natura, quae philosophi naturae non propior quam poetae fuisse videtur, id non necesse est multis demonstrari. Sed optime iam vidit Ritterus, neque istam distinctionem ab Empedocle satis excultam vel definitam esse. (Unde idem explicat hoc, quod illa pars doctrinae Empedocleae ne a veteribus quidem interpretibus recte sit perspecta.) Et vere, etiamsi cum Rittero differentiam illam eiusmodi esse statuamus, tamen complures restant difficultates. Quaeri enim potest, ut nonnulla saltem afferam, quae tandem ratio intersit inter illud divinum et humanas vel naturales res? deinde, quod ad divinorum perceptionem pertinet, quid sit, quod divina non nisi divino afflatu cognosci possint? Sed neminem, opinor, latebit, tales quaestiones subtiliores esse, quam quae in Empedoclis mentem venire, aut si venissent, satis accurate ab eo expediri potuissent. Quare si ab aliquo loco fragmentorum eius exorsi, conclusiunculis quibusdam efficere studeremus, quid tandem de talibus rebus ille praeceperit, in eundem incideremus errorem, quem supra in aliis reprehendimus.

Fuerunt autem alii, qui cognoscendi g r a d u s saltem d i v e r s o s ab Empedocle statui dicerent, nam toto genere sensuum perceptionem apud illum distare a mentis

---

(¹) Ritterus in priore editione libri: Geschichte der philos. eam secutus erat sententiam, secundum quam Emp. sensus a mente prorsus seiunxisse dicitur p. 512, 537. In additamentis vero aliter de hac re iudicat p. 43. 47.

(²) Ita Ritterus addit. p. 48: 'Wir haben schon früher bemerkt, daſs E. menschliche und göttliche erkenntniſs unterschied. Wenn er nun aber in allen dingen die gegenwart des göttlichen, die glieder des gottes ahnte, selbst wenn der streit in ihnen mächtig ist, so muſste er gewiſs auch dem menschen einen antheil an dieser göttlichen erkenntniſs gewähren. Diese setzte er auch entschieden der sinnlichen kenntniſs entgegen, denn dem göttlichen könne man sich nicht nähern, weder mit dem auge, noch mit den händen es fassen, welchen sinnen die menschen am meisten zu vertrauen pflegten. Daher verlangt er auch, man sollte den g o t t, d i e l i e b e (!) im geiste schauen, denn mit augen könne sie nicht erblickt werden, wodurch er wohl nichts anderes andeuten wollte, als daſs sie durch unmittelbare gegenwart (?) aufgefaſst werden müsse. Hiernach liegt in der that ein strenger gegensatz zwischen der sinnlichen und göttlichen erkenntniſs in dem system des Empedocles'.

cognoscendi vi, id contendi posse negarunt. Inter quos est Panzerbieterus, qui ut sententiam suam explicaret, non solum complures versus in alium redegit ordinem, sed etiam nova fragmenta excogitavit, eo nempe consilio, ut, illis insertis, nexus ac progressus sententiarum Empedoclearum clarior evaderet (cf. Zeitschrift für alt. l. l.) Ipsius additamenta uncis seclusit, quo facto locus huc pertinens talem praebet formam:

231. (K. 313) Πάντα γὰρ ἴσθι φρόνησιν ἔχειν καὶ νώματος αἶσαν
[ᾗ μὲν γὰρ . . . .
. . . .
195 (K. 312) τῇδε μὲν [οὖν] ἰότητι τύχης πεφρόνηκεν ἅπαντα ([1])
[ᾗ δὲ τάδ' ἀνθρώποισι ἴσα ξυνέκυρσε μάλιστα]
327 (K. 315) αἵματος ἐν πελάγεσσι κεκραμμένα ἀνθρώσκοντος ([2])
328 (316) τῇ δὲ νόημα μάλιστα κικλήσκεται ἀνθρώποισιν
329 (317) αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα.

Nexus autem horum versuum hic ei videtur fuisse: 'Wisse, dafs alles empfindung besitzt und seinen antheil hat an einsicht. Denn sofern sich in ihnen die elemente zusammenfanden, wie sie der zufall zusammenführte, in mannigfaltigen verhältnissen, und wege bildeten, wo das äufsere eindringen und sich mit ihnen verbinden kann, insofern hat alles nach dem willen des zufalls empfindung, insofern aber die elemente vor allen andern wesen bei den menschen in gleichem verhältniss zusammengetroffen, in der flut des blutes gemischt, insofern kommt auch dem menschen vor allen andern einsicht zu.' Cf. etiam quae antecedunt verba: 'Emp. unterscheidet hier zwischen *φρόνησις* und *νόημα* so, dafs die letztere die höhere, dem menschen vorzugsweise zukommende überlegung und einsicht ist etc. Cui Panzerbieteri disputandi rationi non facere possum, quin in universum assentiar. Neque poterit fugere quenquam, priorem expositionem illius differentiae, secundum quam in provinciarum cognoscendi diversitate posita videatur, ad alteram tandem sententiam, quae diversitatem in ipsis cognoscendi facultatibus inesse dicat, necessario esse reducendam.

Restat, ut de singulari Empedoclis loco nonnulla disputemus. Sextus enim Empiricus nobis servavit locum hunc vv. 19-23 (ap. vv. Karst. 49-53.):

ἀλλ' ἄγ' ἄθρει πάσῃ παλάμῃ πῇ δῆλον ἕκαστον,
μήτε τιν' ὄψιν ἔχων πίστει πλέον ἢ κατ' ἀκουὴν
μήτ' ἀκοὴν ἐρίδουπον ὑπὲρ τρανώματα γλώσσης,
μήτε τι τῶν ἄλλων, ὁπόσων πόρος ἐστὶ νοῆσαι,
γυίων πίστιν ἔρυκε, νόει δ' ᾗ δῆλον ἕκαστον.

Similis autem locus apud Parmenidem est, quem non dubito adiicere (K. v. 52-55):

'Αλλὰ σὺ τῆσδ' ἀφ' ὁδοῦ διζήσιος εἶργε νόημα
μηδέ σ' ἔθος πολύπειρον ὁδὸν κατὰ τήνδε βιάσθω,

([1]) V. 195 οὖν Karsten. metri gratia inseruit.
([2]) V. 337 legendum: τεθραμμένη ἀντιθορόντος.

νωμᾶν ἄσκοπον (¹) ὄμμα καὶ ἠχήεσσαν ἀκουὴν
καὶ γλῶσσαν· κρῖναι δὲ λόγῳ πολύδηριν ἔλεγχον
ἐξ ἐμέθεν ῥηθέντα,

quibus versibus hortatur Parmenides, ut in rationibus diiudicandis non vulgarem viam, non oculorum auriumque sequamur iudicium, sed mente verum discernamus. Similitudo autem horum versuum cum Empedocleis illis magis etiam elucebit, si consideraverimus, quam saepe vox λόγος cum minus definita voce νοῦς apud veteres coniuncta, vel una pro altera posita sit, cf. ea exempla, quae Karst. (Parm. p. 84) congessit. Illa autem similitudo, quae neminem interpretum fugit, in explicando loco Empedocleo a nonnullis neglecta est. Quare denuo oportet in hunc locum inquiramus.

Initio igitur poeta, Musa duce, hortatur auditorem, ut cernat omni vi, qua quidque sit manifestum (πῇ δῆλον ἕκαστον); idque statim explicat docens, eundem fere, quoad certitudinem vel persuadendi vim, diversis sensibus concedendum esse locum, neque unum sensum alteri anteponendum (²); cui addit, sensus omnino non prorsus sufficere ad illud, quod quidque vere sit, reperiendum, ideoque in loco verbi indefiniti ἄθρει, quod initio usurpaverat, magis aptum et clarum vocabulum νόει ponit. Vides, quam concinne hoc modo sententia loci procedat, quanto opere respondeat Parmenidis loco supra allato, ubi simili modo primum in universum via quaedam cognoscendi adumbratur (³), deinde sensuum fides (ὄμμα, ἀκουή, γλῶσσα) reiicitur,

(¹) Bergkius Comm. Emp. p. 21 pro ἄσκοπον requirit potius εὔσκοπον vocabulum, sine iure, opinor. Laus enim sensuum parum quadraret in illum locum, et vox ἠχήεσσα de aure dicta, exprimit non praestantiam quandam, sed simplicem eius naturam.

(²) Ita enim intellegenda esse verba supra laudata, paene omnes viderunt. Steinhartius vero in ea disputatione, quam de Empedocle scriptam Ersohii et Gr. encyclopaediae inseruit, aliter rem exponit. Vertit autem:

Auf nun schaue mit offenem sinne das klare der dinge,
Nur was im apfel des auges sich malt, das glaube im sehen,
Nur was hell dir die zunge verkündete, glaube im hören.

Quae versio ne nimis videatur mira, commemorandum est, Steinhartium vers. 20 sic scribere:

μήτε τιν' ὄψιν ἔχων πίστει πλέον ἢ κατὰ κούρην.

(Num proximum quoque versum 21 mutaverit, non indicavit.) Perspicuum autem est, verba κατὰ κούρην sola coniectura esse posita, cuius rationes ut Steinhartius nobiscum communicare voluisset, optandum fuit: Ostendit autem hac in re illud Abaelardi: 'ut errorem emendaret, fecit errorem.' Quomodo enim, quaeso, illud: Nur, was hell dir die zunge verkündet, glaube im hören, ferri potest? Nam primum verba ἀκοὴν ἐρίδουπον demonstravit Bergkius potius in aurem, quam in auditum quadrare; sed id sane levius. Verum τρανώματα γλώσσης multo rectius cum Schneidero et Karstenio de 'gustu' intelleges, quam cum Sturzio et Steinhartio de linguae vocibus (was hell dir die zunge verkündete), quod quia non vidit Steinhartius, credibile est eum κατὰ κούρην scripsisse. Postea autem recte statuerunt de hac re Panzerbieterus et Gladischius, quorum prior vertit:

Weder vertraue dem, was du erschaust, mehr, als dem gehöre,
noch dem getös des gehörs mehr, als der empfindung der zunge.

(³) Nempe quae via vitanda sit, id quod huius loci est proprium. Altera autem res, quae Parmenideum locum ab Empedocleo distinguit, infra apparebit.

denique illi fidei ac vulgari cognoscendi viae opponitur altior cognoscendi ratio, quae in λόγῳ sit posita. Vidit quidem et Karstenius, Empedoclem, quoad sensum, nostro loco mentem a sensibus distinxisse. Sed progressum sententiarum non plane perspexit. Dicit enim: 'Opposita haec sunt: considerare res, quales sensus nobis ostendunt (*κατὰ τὴν γυίων πίστιν*), et considerare, quales ipsae per se sunt (*ᾗ δῆλον ἕκαστον*)'. Sed in verbis *ᾗ δῆλον ἕκαστον* oppositio inesse nequit, quia iam initio eadem formula invenitur, quae quidem sequentibus versibus explicatur. Oppositio autem, si quid video, non potest esse nisi in verbo *ἀθρεῖν* quatenus proxima significatione, de sensuum perceptione, sumitur et quatenus *νόῳ* fit rectiusque *νοεῖν* vocatur.

Karstenium quominus idem de hac re sentiret, impedivit illud, quod verbum *νοεῖν* hic eodem modo de sensibus, quippe quibus *πόρος νοῆσαι* tribueretur, ac de mente usurpatum, ideoque illud vocabulum de communi cognoscendi facultate accipiendum esse opinabatur. Sed id minus recte. Ne ipse quidem sibi satis convenienter illa Empedoclis verba reddit; nam *πόρος νοῆσαι* vertit: cognoscendi via, deinde autem: *νόει δ' ᾗ δῆλον ἕκαστον*: considera vero, quale quidque per se appareat. Sed id facile ei concedes. Ego quoque olim sensibus aeque ac menti hoc loco perverse *τὸ νοεῖν* attribui opinatus, malebam verba corrigere, quam sensum huius loci, semel verum intellectum, et sententiarum nexum derelinquere ac destituere. Cui consilio hoc etiam censebam favere, quod de interpungendi ratione in nostro loco doctos viros tanto opere dissentire videbam. Sed emendandi viam, his potissimum in rebus incertam, relinquens, interpretandi ratione melius difficultates dilui posse iudicabam. Ad quem finem suadere velim, ut vocabulum *πόρος* magis, quam adhuc factum est, premamus. Via saltem ad res cognoscendas (*πόρος νοῆσαι*) ab Empedocle sensibus humanis tribuebatur, idque necessario. Inest enim illis ea vis, qua viam muniant ad altiorem cognoscendi modum, *τῷ νῷ* tantum adipiscendum. Non secus autem docet locus, quem iam supra attuli, v. 344 sqq.:

οὐκ ἔστιν πελάσασθ' οὐδ' ὀφθαλμοῖσιν ἐφικτὸν
ἡμετέροις ἢ χερσὶ λαβεῖν, ἧπερ γε μεγίστη
πειθοῦς ἀνθρώποισιν ἁμαξιτὸς εἰς φρένα πίπτει.

Aperte enim hic oculis et manibus via persuasionis conceditur, quae via secundum hunc locum in humanis quidem rebus perspiciendis ad scopum perducit, in divinis non similiter. Praeterea conferas, quae Lucretius, Empedoclis imitator, loco notissimo (V, 100 sqq. ed. Bernays.) scribit haec:

Ut fit, ubi insolitam rem adportes auribus ante
Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu
Nec iacere indu manus, via qua munita fidei
Proxima fert humanum in pectus templaque mentis;
Sed tamen effabor.

Viam igitur cognoscendi si sensibus tribuimus, et eam excludimus opinionem, quae differentiam illam inter sensuum et mentis cognoscendi vires absolutam, et alteram, quae eam nullam esse contendit (1). Itaque haec videtur esse loci nostri vera interpretatio:

Age, omni vi cerne, qua quidque sit clarum, nec si quid adspectum habes, ei magis crede, quam auri, neque auri resonanti magis, quam linguae perceptionibus, neque ceterorum membrorum, in quibus via saltem est cognoscendi, fidem cohibe: (2) cognosce vero, qua quidque sit clarum (3).

III. Adiecta sunt nonnulla de entis Parmenidei notione.

Simplicius nobis servavit (phys. f. 7) locum quendam Parmenideum sic scribendum:

οὕτως ἔμπεδον αὖθι μένει· κρατερὴ γὰρ ἀνάγκη
πείρατος ἐν δεσμοῖσιν ἔχει τε καὶ ἀμφὶς ἐέργει·
οὕνεκεν οὐκ ἀτελεύτητον τὸ ἐὸν θέμις εἶναι,
ἐστὶ γὰρ οὐκ ἐπιδευές, ἐὸν δέ κε παντὸς ἐδεῖτο (4).

quae verba ad ὄντος quam sibi Parmenides finxerat notionem describendam pertinere, iam primo apparet adspectu. Utitur autem Simplicius his versibus, ut inde demonstret, Parmenidem ens illud, ut verbo utar etsi non probo, tamen usu trito, statuisse

(1) Caveas autem ne in Parmenidem quoque similem interpretationem cadere credas, qui si ὁδοὺς διζήσιος distinguit, nihil aliud potest significare, nisi g e n e r a d i v e r s a inquirendi.

(2) Karstenius vocem ἔρυκε reddit 'declina,' quod hic certe fieri nequit, vixque usquam potest.

(3) Conferas verba, quibus Sextus Emp. versus illos introducit: καὶ διὰ τῶν ἑξῆς ἐπιπλήξας τοῖς πλέον ἐπαγγελομένοις γιγνώσκειν, παρίστησιν ὅτι τὸ δι' ἑκάστης αἰσθήσεως λαμβανόμενον πιστόν ἐστι, τοῦ λόγου τούτων ἐπιστατοῦντος, καίπερ πρότερον καταδραμὼν τῆς ἀπ' αὐτῶν πίστεως κ. τ. λ. Quae opinio quanquam, ut vides, non prorsus recte se habet, eo tamen est Sextus laudandus, quod in illis verbis etiam sensibus aliquam cognoscendi vim tributam esse concedit.

(4) Karsten. v. 85 sqq. vulgatam scribendi rationem: ἔχει τέ μιν κ. τ. λ. recte vidit esse vitiosam, neque ei probatur alia huius versus scriptura semel occurrens ἔχει τό μιν κ. τ. λ. Coniecturam autem suam, qua est modestia, verbis Parmenideis inserere noluit; qua in re nos audaciores fuimus.

Ultimus versus sic apud Karsten. exstat: ἐστὶ γὰρ οὐκ ἐπιδευές, μὴ ἐὸν δέ κε παντὸς ἐδεῖτο, quam formam metro repugnantem vellem non retinuisset vir doctissimus, praesertim quum libri tanto opere discedant; Ritterus et Prellerus p. 94 recte pro μὴ ἐόν habent quod supra exhibui, ita posteriorem partem versus explicantes, ut suppleant: si esset ἀτελεύτητον; eandem scripturam postea commendavit Steinhartius, encycl. Erschii s. v. Parmenidis p. 238, in eo tamen reprehendendus, quod se primum rectum in hac re invenisse opinatur. Sensum vero illius loci, ut hoc perstringam saltem, rectius exposuit Steinhartius, quam quos modo nominavi viros. Dicit autem haec: Wäre das sein in irgend einer hinsicht ein bedürftiges, so würde es mangel haben an allem, denn wem nur etwas zum sein fehlt, das ist überhaupt nicht, folglich mufs das sein ein völlig unbedürftiges sein. Supplendum igitur censet vocabulum ἐπιδευές, non ut priores illi, ἀτελεύτητον, et id quidem bene, quanquam de addita conclusiuncula dubitari potest; sed haec minus ad rem.

πεπερασμένον. In quo demonstrando, quum iam Aristoteles ex alio loco mox laudando eandem de ente Parmenideo opinionem duxisset, novi quidem nihil effecit, sed argumentatio ipsa, qua illud πεπερασμένον adsequitur, digna est, quae huc introducatur. Dicit enim l. l. εἰ γὰρ ὂν ἔστι καὶ οὐχὶ μὴ ὄν, ἀνενδεές ἐστιν· ἀνενδεὲς δὲ ὄν, τέλειόν ἐστι· τέλειον δὲ ὄν, ἔχει τέλος καὶ οὐκ ἔστιν ἀτελεύτητον· τέλος δὲ ἔχον, πέρας ἔχει καὶ ὅρον. Locus autem, unde Aristoteles concludit, Parmenidem ens illud finitum statuisse, est hic (Karst. v. 101 sqq.):

αὐτὰρ ἐπὶ πεῖρας πύματον τετελεσμένον ἐστί,
παντόθεν εὐκύκλου σφαίρης ἐναλίγκιον ὄγκῳ
μεσσόθεν ἰσοπαλὲς πάντῃ. —

Inter recentiores Parmenidis interpretes libentissime Brandisius, V. C., hanc entis Parmenidei descriptionem, secundum quam finitum est, amplexus est. Conf. enim eius Commentationes Ell. p. 144, ubi priorem locum (v. 85 sqq.) quasi circumscribens haec dicit: 'Quod vero (ens) totum in se est positum et immobile, non infinitum sit necesse est, quod enim infinitum est, eget aliqua re, ens autem nulla re potest indigere, quum totum in se sit positum omnique igitur parte absolutum et perfectum.'

Sin autem nonnullos alios fragmentorum locos cum duobus illis velis comparare, certe aliqua tibi in mentem veniet dubitatio, num illa entis Parmenidei descriptio plane sit recta. Legimus enim apud eundem Simplicium hos etiam versus (Karst. 58 sq.):

ὡς ἀγένητον ἐὸν καὶ ἀνώλεθρόν ἐστιν,
οὖλον, μουνογενές τε καὶ ἀτρεμὲς ἠδ' ἀτέλεστον (1).

Quod autem primum ad horum versuum pertinet scripturam, Karstenius de ea re doctissime disseruit p. 86 sqq. Cuius e disputatione videmus, nostrum locum decies fere a scriptoribus citari, verbis quidem non prorsus iisdem — nam pro vocabulo ἀτέλεστον, ut graviora afferam, alibi invenitur ἀτέλευτον vel ἀγένητον (!) — eundem tamen ubique praebentem sensum. Sed accuratiorem huius rei expositionem e Karstenio ipso petas velim. Sensum autem si spectas, id primum videtur mirandum, quod ens illud, alibi finitum (οὐκ ἀτελεύτητον) appellatum, in hoc loco idem ἀτέλεστον, (vel ἀτέλευτον) infinitum, vocatur. Et re vera Brandisio haec entis descriptio, tanquam infinitum sit, tam aliena a Parmenidis sentiendi ratione videtur, ut pro verbis ἠδ' ἀτέλεστον legendum censeat: οὐδ' ἀτέλεστον (p. 110) (2). Cui Brandisii opinioni opposuit Karstenius p. 89 primum, propter structurae rationem isto loco particulam

(1) Quos versus Bessarion ita latine reddit:

Ingenitum quando est, sit et immortale necesse,
Unigenum, immotum, immensum, sine fine perenne.

(2) Compares praeterea p. 145 haec: In errorem autem, nescio quo modo, inducti sunt, qui Parmenidem volunt ens esse infinitum statuisse. In Eleatici nostri vero laude ponitur, quod id, quod perfectum sit, esse definitum pronuntiaverit, atque non infinitum.

οὐδέ non posse ferri; quod vir doctissimus vellem non dixisset solum, sed etiam demonstrasset, grammatices enim legibus quomodo illa coniectura repugnet non video. Neque ipse Karstenius illi obiectioni multum tribuit, nam hoc potius modo Brandisii propositionem refutare studet, ut illas, quae inter se pugnare videantur notiones (ἀτέλεστον, οὐκ ἀτελεύτητον) re vera non esse contrarias, sed simul enti, certe aliam alia ratione, attribui posse ostendat. Qua in re equidem ei assentior quatenus tales difficultates explicatione potius, quam emendatione solvendas esse censeo; differo vero ab eo in ipsa solvendi ratione. Sed de hac infra erit disputandum.

Iam vero tenendum est id, quod supra monui, locum a Brandisio addubitatum semper a diversis scriptoribus ita exhiberi, ut sententia sibi constet, nihilque apud eos inveniri, unde Brandisii scriptura, plane contrariam significationem praebens, possit commendari. Neque solum in ipsis verbis Parmenideis exhibendis scriptores veteres non dubitarunt ens illud infinitum tradere, sed etiam in commentariis, quibus Parmenidis placita illustraverunt, de hac notione infiniti entis non disputant tanquam de systemati Parmenideo contraria, sed ut de tali, quae bene possit explicari neque analogia careat. Cuius testem praestare possum Simplicium ipsum haec dicentem: (p. 89 ap. Karst.) Μέλισσος εἰς τὸ κατὰ χρόνον ἄναρχον καὶ ἀτελεύτητον καὶ ἀεὶ ὂν ἀπιδών, ἄπειρον ἀπεφήνατο, καὶ ὁ Παρμενίδης ταὐτὸν αὐτῷ (1) μαρτυρεῖ, λέγων δι' αὐτῶν σχεδὸν τῶν ῥημάτων· ὡς ἀγένητον .... κ. τ. λ. Οὕτω μὲν οὖν καὶ οὗτος ὡς ἀνέκλειπτον καὶ ὡς ἀγένητον καὶ ἄπειρον εἶναί φησι.

Cui testi locupletissimo adnumerari possunt complures alii, levioris sane momenti (quoniam partim Simplicii auctoritatem videntur secuti), tamen haud prorsus spernendi (cf. Karst. p. 168) (2).

Iam ad Parmenidem revertentes facile quidem concedemus, eum pro illis temporibus raro acumine doctrinas suas excogitasse easque magno cum fervore ingenii nobis exposuisse. Id tamen nemini videbitur mirum, (quod quidem negari nequit) Parmenidem, τὸ ὂν ita scrutatum, ut mutabilia ista et fluxa prorsus despiceret atque neglegeret, unam tantum partem veri de ente docuisse, alteram partem omisisse. Sed, ut saepius fit, etiam hunc errorem, in totius philosophiae fundamento positum, Parmenides interdum, naturae victus bonitate, singulis in locis ipse superavit, ita, ut non

(1) Ita scripsi pro vulgato τοιοῦτον αὐτῷ.

(2) Quominus autem temere ad verborum Parmenideorum refugiamus mutationem, impedit alia quoque ratio satis facilis intellectu. Nam in paucis tantum philosophis explicandis et emendandis eam possumus sequi regulam, quam in plurimis classicis scriptoribus, quos vocant, sequi solemus, eam dico, secundum quam eos semper rectum vidisse idque optime eloqui potuisse supponimus. Nemo enim magis quam philosophus, quippe qui scientiam fontibus plus minusve abditis hauriendam proponit, pendet ex iis, quae iam antea in reliquis literarum artiumque generibus elaborata sint. Neque usquam clarius, quam in philosophorum scriptis licet intelligere, quomodo uniuscuiusque et perceptio et elocutio determinetur aequalium percipiendi et eloquendi facultate. Et non nisi pedetentim, ut par est, philosophi eo pervenerunt, ut vitia systematis, a prioribus traditi, emendarent.

ubique sibi constet ([1]). Quae omnia non idcirco attuli, ut accuratiore supersedere possem indagatione, sed ut ostenderem, quam lubrica esset in tali re emendatio e sola profecta coniectura. Quum vero emendatio non valeat ad difficultates et contradictiones, quibus ens Parmenideum videtur laborare, removendas, accuratius in rem ipsam inquirere debemus. Illos igitur si consideramus locos, ubi ens *ἀτέλεστον* vel simili nomine appellatur, semper temporis ibi haberi rationem intellegimus; quod ut clarius appareat, versus illos repetam (v. 58 sqq.):

ὡς ἀγένητον ἐὸν καὶ ἀνώλεθρόν ἐστιν,
οὖλον, μουνογενές τε καὶ ἀτρεμὲς ἠδ' ἀτέλεστον,
οὔποτ' ἔην οὐδ' ἔσται, ἐπεὶ νῦν ἔστιν ὁμοῦ πᾶν.

et v. 82 sq.:

ἐστὶν ἄναρχον, ἄπαυστον, ἐπεὶ γένεσις καὶ ὄλεθρος
τῆλε μάλ' ἐπλάγχθησαν, ἀπῶσε δὲ πίστις ἀληθής.

Perspicuis praeterea verbis Simplicius eo loco, quem supra dedi, vocabulum *ἀτέλεστον* de tempore accipit: *εἰς τὸ κατὰ χρόνον ἄναρχον καὶ ἀτελεύτητον καὶ ἀεὶ ὂν ἀπιδών, ἄπειρον ἀπεφήνατο κ. τ. λ.* Haec temporis notio ut vocabulo *ἀτέλεστον* hoc loco tribuatur, postulat totius loci sententia, non vox *ἀτέλεστον* per se, ut infra apparebit ([2]). Notio igitur infiniti entis, i. e. aeterni, iam nunc videtur apud Parmenidem sine dubio exstare.

Et fortasse etiam loci vel spatii fines ab ente abiudicandos esse iam Parmenides praecepisset, quemadmodum a Melisso factum videmus, nisi quominus eo pergeret, Parmenidem impedivissent rationes haud obscurae. Parmenides enim, ut ait Aristoteles, ens illud attigit *κατὰ λόγον* — vel ut hodie dicunt, logica ratione — non vero, ut Melissus, *κατὰ τὴν ὕλην*, i. e. physica vel potius metaphysica ratione; quamobrem Parmenides inprimis debebat praedicare entis integritatem perfectionemque et contra omnia ab eo arcere, quae id imperfectum redderent (cf. v. 88. *ἐστὶ γὰρ οὐκ ἐπιδευές*). Sin autem loci terminos ab ente abiudicasset, non aliud fuisset *τὸ ὂν* nisi vacuum, immensum, indefinitum, imperfectum, immo iam nihilum. Nam perfectionem qualitatis, si ita licet dicere — in quantitatis perfectionem, sicut saepe fit, traduxit. Ob eamque causam perfectissimam corporum formam, globosam dico, eli-

---

